



STVDENTES,||COMOEDIA DE || VITA STVDIOSORVM,  
NVNC || primùm in lucem edita, authore M.  
Chri=||stophoro Stummelio. F.|| Eiusdem Carmen de  
iudicio Paradis.|| Addita est Praefatio Iodoci VVillichij, &  
epilo-||gus à M. Christophoro Cornero.||

---

Vollständiger

**Titel:** STVDENTES,||COMOEDIA DE || VITA STVDIOSORVM, NVNC || primùm in lucem edita, authore M. Chri=||stophoro Stummelio. F.|| Eiusdem Carmen de iudicio Paradis.|| Addita est Praefatio Iodoci VVillichij, & epilo-||gus à M. Christophoro Cornero.||

**PPN:** PPN722206356

**PURL:** <http://resolver.staatsbibliothek-berlin.de/SBB00009C940000000>

**Erscheinungsjahr:** 1557

**Signatur:** 5 in: Np 2470

**Kategorie(n):** Historische Drucke, Philosophie / Psychologie


**Projekt:** VD16 digital

**Strukturtyp:** Monografie

**Seiten (gesamt):** 114

**Seiten (ausgewählt):** 1-114

**Lizenz:** Public Domain Mark 1.0



Z 2890

Np 2470 R




55






C

M







117946

26

STVDENTES,  
COMOEDIA DE  
VITA STVDIOSORVM, NVNC

primùm in lucem edita, authore M. Chri-  
stophoro Stummelio. F.

Eiusdem Carmen de iudicio Paridis.

Addita est Præfatio Iodoci VVillichij, & epilo-  
gus à M. Christophoro Cornero.



COLONIAE.  
Excudebat Petrus Horst. Anno  
1557,

IN ZOILVM.

Inuide cur acuis ringendo Zoile dentes?  
Cur sulcat uultus ruga maligna tuos?  
Sed tu Mæonidem ridebas Zoile uatem,  
Et similis nunquàm de finis esse tui.  
An non est iuuenum iuuenlia condere scriptas  
Si capitur studijs ipsa iuuenta suis.  
Vt Cereri grata est peragendis mœsibus ætas,  
Bacchus in autumnno dulcia uina bibit.  
Sic matura dabit posthac maturior ætas,  
Interea hoc placida perlege mente, precor.

PRÆFATIO IO-  
DOCI VVILLICHII RESELLIANI

ad Vvupertum Sueuum LL. Doctorem, & syn-  
dicum Vratislaviensem, & poëtarum  
amantissimum.



NIMADVERTI olim iuxta argumen-  
ti, & imitationis naturam & tractationem  
tria fuisse poëtarum genera  
usitatissima, quorum primum  
fuit utile, quod aut ad erudiē-  
dos et expoliendos animos adolescentū conducebat,  
ut quod honestatem, eiusq; semina & decora, cum  
singularum per diuersos circumstantiarum ordines  
officijs continebat ἠθικὸν dictum, aut ad rerū natu-  
ræ cognitionem & dijudicationem plurimum facie-  
bat, φυσιολογικὸν antiquitus appellatum. Ve-  
rum in priorem classem & sacrarum literarum poë-  
mata referenda sunt, cuiusmodi perquam multa à  
poëtis Germanis summa laude nostra memoria de-  
cantata, & prelo excusa florent. Alterum est dun-  
taxat animi oblectandi gratia expetitur, quod et si  
nihil, uel quod cum uirtute coniunctum esset, uel  
quod ad rei naturalis indagationem, atq; proprieta-  
tem cōferret, uel quod ad pietatem uitæ cum ciuilibus,

P R A E F A T I O.

tum Christianæ cōduceret, probè docuit, canoras tas  
 mē nugas & ludicra interdum nimis obscœna diligē  
 ter promouit. Tertium est eorum, quibus nō tantum  
 curæ est uoluptas, sed etiam utilitas. Delectant qui  
 dem, cū hilariores animi affectus concitant. Vtiles  
 uerò sunt, cū ingenia propter certarum uel arca  
 narum, uel humanarum cognitionem informant, de  
 quibus sic Horatius ad Pisones cecinit.

Aut prodesse uolunt, aut delectare poëta,  
 Aut simul & iucunda, & idonea dicere uita.

Verum sicut primum, etsi non est utile, tamen ali  
 quanto durius, tāquam senioribus Catonibus aptius  
 censetur, ita proximum cū non parum animos hu  
 manos oblectet, mollius est, & iuuentuti magis ac  
 commodatum. Vltimum autem utriq; ætati cōuenit,  
 totiq; theatro satis appositum. Id enim non tantum  
 docet, sed & uno labore, unaq; opera mirifice dele  
 ctat. Quare id genus poëmata cum uenalia passim  
 extabunt, uel in regionibus longius positis, cū ex  
 horum uenditione librarij nō parū pecuniæ facient,  
 tum uerò non interitura sunt, sed uiuacissima tanq̃  
 seu Apolline, seu cedro digna perdurabunt, & consi  
 stent. Id quod Horatius his uersibus uoluit:  
 Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.  
 Lectorem delectando, pariterq; monendo.  
 Hic meret ære liber Sosis, hic & mare transit

P R A E F A T I O.

Et longum noto scriptori prorogat æuam.

Quibus cognitis, nō difficile erit de quibuslibet poë-  
tis propter materiã iudicium facere, idq; exquisitū.  
Nam si Aristoteli Empedocles, cui nihil præter me-  
trum cum Homero commune est, non sit, poeta, sed  
cū propter rerum naturæ tractationem susceptã  
utilior esse exoptabat, potius φυσιολόγος, iudi-  
catur de quo tamē Lucretij prestantissimum elogiū  
memoriæ proditum est hoc modo.

Nil tamen hoc habuisse uiro præclarus in se

Nec sanctum magis, & mirum charumq; uidetur.

Carmina quin etiam diuini pectoris eius

Vociferantur, & exponunt, præclara reperta

Vt uix humana uideatur stirpe creatus

Quid nam quæso quis iudicij de Lucretio proferet?  
cuius opus etsi nobis hodie mutilum sit, multis tamē  
luminibus & ingenij, & artis præstare quadam ad  
Q. fratrem epistola Cicero pronunciauit, & à Ci-  
cerone eosdem libros emendatos D. Hieronymus ex  
Eusebio testatur. Est ne diuersum statuendū de Var-  
rone Attacino Narbonensi? Hic enim nō minus atq;  
Lucretius Empedoclis exemplū secutus est. Ad hūc  
modum Lucanum esse oratorem, quàm poetam, cū  
simplicius citra ulla uoluptatis illeclamenta suam hi-  
storiam cecinerat F. Quintilianus mauult. Mirum  
igitur est, cur Aristotiles in comœdia solam uolupta

P R A E F A T I O.

tem quaesierat. Nam illi est hoc dramatis genus imitatio improborum, non tamen ad omnem maliciam, sed turpitudinis ridicula particula. Primum hic τὸ φαυλοτέρον, etsi ambiguum sit, tamen ad personas certis rationibus referre cupio & contendo. Sentit enim in hoc poemate, inferioris sortis atque ita iuxta uulgi sententiam deteriores & uiliores esse histriones, qui tamen non sunt ad extremum flagitiosi, quales in tragicis facinoribus ut plurimum esse consueverunt. Deinde argumentum est cum turpitudine coniunctum, quod tamen non magno pere pios spectatores neque offendit, neque eorum mores corrumpit. Scriptum enim reliquit philosophus αἰσχος ἀνώδυνον καὶ ὄυ φθαστικόν, quod est turpe, est argumentum, attamen doloris expers, & sine magna honestorum morum corruptela. Eius uero exemplū à ridicula facie subiecit, quae etsi turpe & peruersum quiddam sit, non tamē pro tinus dolore quempiam afficit. Postremò eius finis statuitur τὸ γελοῖον, quod ridiculum, & risum uoluptatemque moueret. Quod si quis illam descriptionis naturam mordicus sequi efflagitauerit, uix quempiam comicum poetam salutabimus. Fatemur quidem in Aristophanicis comœdijs (is enim Aristotelis memoria ab omnibus comœdia poeta dictus, atque philosopho circiter sexaginta annos maior fuit)

plura

P R A E F A T I O.

plura esse ridicula, quàm seria, eaq; pia, et honesta, quæ tamen bona ex parte satyrica iuxta eius temporis consuetudinem esse apparent. Nonne in equitibus cernitur, ut Cleonem tribunum plebis tanquam peculatorem perstrinxerat, adeò ut ille faciem suam minio oblitus ( reliqui enim illius potentiam formidabant ) personam egerat? Nonne & Niciam summum ducem, utiq; mitem, & liberalē, tanquam desiderem & agricolam in fabula, quam Gorgiam autore Plutarcho inscripsit, grauius taxaerat? Nonne in nebulis, quas Dionysio Siciliae tyranno formant reipub. Atheniensis petenti Platonem misisse scribitur, absq; controuersia magis propter opus & ornamētum Atticæ linguæ absolutum, quàm propter crimina, quibus per meteora grauius Socratem philosophiæ patrem precio & impulsione Anyti et Meliti adductus, insectari cõtenderat? Nonne in Vespis Philocleonem propter iudicij affectationem et ambitum insimulauerat? Nam uespæ iuuenes iudiciorum desiderio tenebantur, sed senes suis stimulis extimulabant. Quid multis? pauca sunt quibus docet & eadem sunt ceu  $\omega\acute{\alpha}\gamma\epsilon\gamma\omega\alpha$ ; quod genus sunt in Pluto de paupertatis & opulentia collatione, ita & in pace pacis commoda proposuit, ut eandem Græcis iam bello defatigatis suaderet. Proinde Aristotelem ad priscam comœdiam magis respexisse



P R A E F A T I O.

arbitror, & censeo, cuius usus sub id tempus ( Nam  
 Tragediæ protinus successit ) frequentissimus fuit.  
 Quatenus autem mores quorundam ciuium deriden-  
 do & traducendo taxauerat, non parum reipub.  
 profuit. Multi enim sibi cauebant, ne spectaculo cæ-  
 teris essent, atq; domestico probro. Verum cum ni-  
 miæ licentiæ fenestra aperta esset, lege lata sanctū  
 erat, ne quis carmē infame proponeret. Quod et in  
 caussa est, cur noua comœdia surrogata sit, argumē-  
 to communi omnibus hominibus mediocris fortunæ,  
 nimisq; amaritudinis habens. Itaque spectatoribus  
 plus delectationis adfert, quia argumento concinna  
 est, quia consuetudine congrua est, quia sententijs  
 utilis est, quia metro præsertim trimetro apta est.  
 Quapropter recentiorum Græcorum comœdiæ fi-  
 nitio & nostro tempore gratior erit ut quæ sit pri-  
 uatæ, ciuiliq; fortunæ sine uitæ periculo compres-  
 hensio. Donatus idē quoq; agnoscit, sed ἄκινδ' ὑποπ  
 exponit, & addit, qua comœdia discitur, quid sit in  
 uita utile quid contra euitandum, non aliter atque  
 in ethicis fieri solitum est, quibus & expetendorū  
 et fugiendorū est professio. Est igitur Liuius Andro-  
 nico comœdia cottidianæ uitæ speculum, quem Cice-  
 ro secutus eam esse pronunciat imitationem uitæ,  
 speculum consuetudinis, imaginem ueritatis. Quòd  
 genus exempla in Terentianis fabulis manifestissi-  
 ma sunt,

P R A E F A T I O.

ma sunt, in quarum alijs modò uaga libido damnatur, & coniugij honesti laus confirmatur, modo in alijs nuptias non esse legitimas, nisi parentum consensu factas, dilucide adumbrat, modo in alijs dissidiũ inter socrum, & nurum perpetuum esse ostendit, modò alia atque alia certa quadam thesi comprehensa argumenta fusissimè explanantur, et actione quasi in speculo commonstrantur. Adhunc modum nostra ætas multos comicos uelut ex equo Troiano effudit, non ita infelices, quorum opera rerum & prophanarum & sacrarum spectacula quàm illustrissima nobis exhibita sunt, atque nuper Christophorus Stummelius iuuenis mihi per quàm charus, studio ruu meorum socius apud nos tanquàm in patria comœdiam dexterrimè lusit, *μαυθόνουτες*, aut studentes inscriptam, qua discipulorum iam in Academiam unam aliquam excolendi ingenij gratia commigrantium mores depinguntur, cuius protasis scholastico more proposita est, ut post dato nomen Gymnasiarchæ sese malis condiscipulis adiungant, ut omnia parentum labore parta, & uino & alea concoquant, ut sub nullius præceptoris, & pij & honesti ferula uiuere exoptent. Mox epitasis subditur, propter multarum turbarum, quas dare ebrij consueuerunt, tumultum, propter frequentem in ades priuatas incursionem, & propter alia multa

P R A E F A T I O.

incommoda. Sed catastrophe istorum ardelionum  
 uitam sic corrigit, ut ad meliorem frugem redeant,  
 ne cepas, sicut Germanis est prouerbium, pro alijs  
 domum reportasse uideantur. Hanc uerò comœdiã  
 recens compositam tibi nostæ Academiæ haud pœa  
 nitendo alumno de meliore nota commendatam cu  
 pio. Quod si non cuncta ad uiuum Aristarchis rese  
 cuerit, etati & tempori perturbatori impu  
 tabitur. Nos autem maximam de eius  
 ingenio, & indole spem conce  
 pimus, iam id etatis flores  
 accipe, boniq; consu  
 le, postea dulcis  
 simos fructus  
 percipies.



# PRVDENTIBVS

ET SINGVLARI GRAVITATE

præditis Coss. & patribus Senatus Franco-  
fordiani ad Viadrum.

S. P. D.

**V**erissime dictum est humanissimi Patres,

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos  
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Nam etiamsi Ouidius procul ab Italia & Pelignis  
focis inter rigidos & immanes Tomitas uitam age-  
ret, tamen sæpenumerò animaduerti omnibus ho-  
minibus singularem quendam amorem genitalis lo-  
ci insitum & impressum esse. Cuius rei euidentis-  
simum exemplum ex Vlysse haberi potest, qui  
Ithacam suam asperrimis saxulis tanquam nidulum  
affixam, immortalitati anteposuit, ita ut etiam opo-  
taret fumum de patrijs posse uidere focis. Atque  
eū de hac re cogito, eius amoris semina in me quoq;  
reperio. Quis enim extra naturā positus, seu planè  
ἄσoγγ & aliter sibi in animū induceret? Proinde sæ-  
pius mihi in animo fuit, amoris in patriā perspi-  
cua uestigia relinquere, q̄ commodissimè nunc fieri  
posse

posse existimaui, cum præludia ingenij mei in lucem  
suasu & consilio doctorum uirorum edere decreuis-  
sem, ut hunc laborem uobis humanissimis patribus,  
qui ad gubernacula patriæ meæ sedetis nuncuparẽ.  
Nam merito patria studiorum meorum fructum à  
me repetere debet, ut à qua hoc beneficij acceperim,  
si aliquo in literis progressus essem. Sed hic dicet  
aliquis, quam utilitatem poterit patria ex Comœdia  
percipere? Huic Cicero pro me respondebit,  
qui de dramaticis scriptis ita loquitur: Etenim hæc  
cōficta arbitror à poëtis esse, ut effectos nostros mo-  
res in alienis personis, expressamq; imaginem uitæ  
quotidianæ uideremus. Hic docentur patres quod  
ad cultum ingenij in liberis spectat, non esse parcen-  
dum sumptibus, nec tamen ad luxuriam profuse lar-  
giendum. Illud enim currentes moratur, hoc uero à  
studijs pœnitus auertit. Videndum igitur, ubi et quã  
do dandum sit. Poterunt etiam filij uestri, sodales  
mei, qui partim nunc coætanei sunt, partim proce-  
dente tempore succrescent, salutarem inde doctri-  
nam haurire. Nam gnauiter dandam esse operam li-  
teris Comœdia docet, uitanda praua consortia, amo-  
ri non indulgendum, quorum utrunq; à Musis abdu-  
cit, & uiam ad eundi intercludit. Quod experientia  
docemur, cum non raro bonæ spei adolescentes, qui  
nimis prauo sodalitis adherunt, alieni à studijs sã-  
cti,

cti, spem & expectationem parentum sefellerunt.  
Scio etiam multos amanti operam dantes, foemineis  
blanditijs ita illectos esse, ut turpiter præter uolun-  
tatem parentum matrimoniali copula deuincti sint.  
Reperias enim nonnullos, qui pulchras domi alūt fi-  
lias, aucupium exercere, ut adolescentes parum cau-  
tos inescant, perinde ut aucupes, qui in area canorā  
auem collocant, ad quā cum cæteræ colludentes ad-  
uolitant, tanq̄ omnia essent tuta, reti operiuntur cū  
magno uitæ suæ periculo. Ita etiā quibusdam adoles-  
centibus euenit, ut colludēdo turpiter capiātur. Sed  
tamē matrimoniū nō insector, imò hoc uolo, ut aper-  
tè & honestè cum consensu parentū utriusq; partis  
hoc cōtrahatur. Quare humanissimi patres, hoc le-  
uidense munus meo labore in gratiam uestrorū libe-  
rorum excultum æquo animo suscipite, boniq; consu-  
lite & Musarum cultoribus, ut facitis fauete: ne stu-  
dia apud uos, quæ ubiq; ruinam minari uidentur, in-  
præceptis eant. Satan enim hoc exulceratissimo secu-  
lo in ultima mundi senectā illud unice molitur,  
ut scholas, sine quibus puritas Christianæ do-  
ctrinæ conseruari nequit dissipet.

Valete.

PRO

PROLOGVS.

**I**ngens mei tenet uos admiratio  
 Hic quotquot adestis, spectatores optimi,  
 Tantum laborem sponte quod susceperim.  
 Multi me cupidum laudis, multi audaculum  
 Vocabunt, operam subsannantes plurimum  
 Auresq; in altum ceruino more arrigent,  
 Si quid possent uitiosum deprehendere.  
 Nam sepe paruum erratum obfuscet optima,  
 Vitiâq; plus quàm uirtutes sunt obuia.  
 Sed hi me nil mouent, nec huius fecerim:  
 Siquidem Terentio atq; Homero idem accidit:  
 Qui si nunc uinerent, quantumuis plurimum  
 Laudentur, essent omnium abiectissimi.  
 Cunctis enim placere non est res leuis,  
 Quod nemo præstabit, nec unquam præstitit.  
 Verum tamen mihi firmiter persuadeo  
 Amari me à multis, quibus paucissimis  
 Exponam, cur aggressus sim prouinciam  
 Scribendi, diligenter animum aduertite.  
 A' multis sum rogatus precibus improbis,  
 Ut aliquid opera dignum & studio scriberem:  
 Quæis cum reluctari nollem, quòd plurima  
 Ipsorum in me collata extent beneficia,  
 Ad scribendam animum contuli Comœdiam,

## PROLOGVS.

Ex quo uidebam me fructus amplissimos  
Percepturum, non sine labore maximo,  
Sunt etenim pulchra semper difficillima.  
Vidi etiam multos Palladis ad sacra  
Tendere, sed peruenire paucos admodum.  
Ea quæ sit caussa hac facti specie ostendere  
Volui. Siquidem multos hinc deterret labor,  
Quem fugimus ex æquo omnes, cum nemo queat  
Sine hoc ad culmen doctrinæ conscendere.  
Plerosq; seducit prauum consortium,  
Multos esca malorum uoluptas, otium,  
Venus, ludi, iuuenum pestes teterrimæ.  
Quapropter adeste animis, & cum silentio  
Attendite, ut æqui sitis posthac iudices.  
Quem nunc socco indutum uidetis ingredi,  
Olim Cothurno forsitan uidebitis.  
Nunc argumentum dicetur Comædiæ.

INTER



# INTERLOCV

tores.

Philargyrus Euprositus pater

Eubulus

Philostorgus senes

Philomathes

Acolastus filius

Acrates

Colax

Myspolus studiosi

Philostasius

Musopolus

Eleutheria mater

Philargyri Eubuli

Philostorgi Puellæ

Pedeutes præceptor

Phrontistes famulus

Damista hospes

Deleasthisa puella

Cerdones.

PERIOCHÁ.

**P**hilargyrus quauis diuitijs affluens  
 Aegre persuasus à vicinis proximis  
 Philo matem filium cum ipsorum filijs  
 Ad studia misit liberalium artium,  
 Qui manibus & pedibus dans operam literis  
 Ad summa doctrinæ peruenit culmina.  
 Sed Acolastus & Acrates prauis consortijs  
 Dum sese a diungunt, corrumpuntur funditus  
 Per Colacem, per Philostasium & per Myspolunt.  
 Acrates ludo, crebris potationibus,  
 Profundit immensam statim pecuniam,  
 Conflauit æs alienum, fecit nomina,  
 Acolastus Deleasthisam Euprofiti filiam  
 Deperit, absente patre uitians uirginem,  
 Promittit se ducturum in uxorem domum,  
 Ex quo grauidam factam cum mater filiam  
 Cognouit, rem suo marito detegit.  
 Qui contumeliam hanc ferens ægerrimè  
 Acolastum cogit ut uitiatam filiam  
 Ducat, fidemq; seruet, sanctè quam dedit.  
 Eubulus autem tota re per te literas  
 Comperta, mox illuc iter ad gnatum facit,  
 Pessundat filium, reluctatur, negans  
 Hunc iure cogi posse ut ducat uirginem.  
 Ille instat, proscindunt se multis scommatis.  
 Tandem à Philostorgo persuasus, filio

STVDENTES

Dat hanc in uxorem, celebrantur nuptiæ.  
 Acrates uerò dolo patrem circumuenit,  
 Emungit argento, se febre dictitans  
 Laborasse, & Danistæ dat pecuniam.

ACTVS I. SCENA I.

Philargyrus, Eubulus, Philostorgus.  
 Trimetri.

**D**ies & noctes stimulus hic me plurimum  
 Urget, nec somnum oculis nocte hac uide  
 meis.

Adeò me sollicitat gnatus, quòd uult sibi  
 Sumptus dari, ut ingenuis uacaret artibus,  
 Et ut uarios hominum mores cognosceret.  
 Sed nimis ingentem poscit uim pecuniæ,  
 Quam uix labore permagno & sudoribus  
 Immensis potui corradere, consumeret  
 Et perderet, nunc ut sunt adolescentuli,  
 Amori indulgent pleriq; meretricio,  
 Sudores in casum profundunt patrios  
 Potando ad multam noctem, ludo, & cæteris  
 Rebus, quæ prorsus animum suspendunt meum,  
 Nam pauci consequuntur nunc scientiam,  
 E millibus multis uix ut centesimus  
 Optatam studio possit metam consequi.  
 Sed Eubulum & Philostorgum uideo proci

COMOEDIA.

Aduenientes, adibo & amicè colloquar.

Saluete plurimum. Eub. Immortales gratias

Habemus. Sed quid adeò es tristis? aut quid est,

Animum malè quòd habet tuum? contracta frons

Etenim signum est moeroris. Enarra quid est?

Phi. Nostin' gnatum meum Philomaten maximum

Natu? Eub. Bene equidem. Sed quid is peccauit, aut

Quid commisit? Phi. Nihil, caussam mox audies.

Is ab ineunte etate flagrans quàm maximo

Studiorum amore, ingenuis semper artibus

Incubuit, ut inde diuelli nullo modo

Possset, quod in primis quidem placuit mihi.

Omnes me mirificè efferebant laudibus,

Quòd gnatum haberem tam diuersis dotibus

Animi exornatum, qui non ceteri ut solent,

Illecebris deditus blandis libidinum,

Obnixè sed qui studijs operam poneret,

Voluptatem spernens, fugiens commertia

Mala, quæ corrumpunt mores castos & bonos.

Quàm mihi placebam, quàm mihi adulabar miser,

Vno ore omnes beatum quod me prædicant.

Nunc miser exanimis, uix uitalem spiritum

Duco, adeò me exanimauit & perterruit.

Phil. Vno uerbo eloquere, quid est quod te malè

Habet? Quid tam longis opust' ambagibus?

Phila. Mox audies, heri ad me uenit, clamitans:

## STVDENTES

Pater, non possum inter beanos uiuere,  
 Idcirco me mittas in quandam Academiam,  
 Vt possim aut philosophiæ studio operam dare,  
 Quàm Tullius uitæ ducem rectè uocat:  
 Aut animum adiungere ad iuris scientiam,  
 Qua conseruatur uitæ nostræ societas:  
 Aut ad sacrosanctam, si uis, Theologiam,  
 Quæ nobis ad salutem æternam uiam aperit,  
 Docens: quibus uestigijs insistere  
 Oporteat, uitam nobis ut conferat  
 Aeternam cœlestis pater, propter necem  
 Gnati unigeniti, qui pro nobis mortuus  
 Iram placauit, & cœlo nos intulit.  
 Ne in eodem (ut aiunt) luto semper hæream.  
 Ad unguem nam triuiales artes (quas uocant)  
 Perdidici, in his puerilibus ne conteram  
 Aetatem, ad altiora ut possim emergere.  
 Quæ postquam dixit, horror corpus concutit,  
 Ac, uelut attonitus, uerbum nullum proloquor.  
 Nam si dixisset: excelsa ab rupe in mare  
 Te mox præcipitato: tulissem equidem facilius.  
 Vnde etenim tanta uis argenti mihi foret:  
 Aut unde tantos sumptus gnato suggeram?  
 Cum uix in singulos dies corrudere  
 Tantum possim, quantum quotidie insumimus  
 Nam sumptuosa & magnifica mihi est domus.

COMOEDIA.

Quapropter tot curæ, tot & molestiæ  
 Me uiuum ad mortem adigunt, & diuerse trahunt  
 Hic gnatus poscit inauditam pecuniam,  
 Illic uxor, preciosas uestes expetit.  
 Hic ager, hic rursus est colenda uinea.  
 Hic ædes extruendæ, illic & uillula.  
 Hæ sunt furie, quæ me uexant miris modis.  
 Sini stro Ioue me natum ut Eubule autumem.  
 Eub. Næ tu uideris mihi stultus & iners homo,  
 Qui currentem moraris, & non incitas.  
 Tute tuum perdis filium, tu consulis  
 Malè tuo gnato, accensum studio dum impedis.  
 Tu graue (crede mihi) supplicium Philargyre  
 Lues. Virorum doctorum sit raritas  
 Quanta uides, tu quem debueras impellere,  
 Non impedis solum, sed & segnem facis.  
 Tenacitatem istam probare non queo,  
 Præsertim cùm tantis abundes copijs.  
 Profecto pistrino dignus, dum post habes  
 Salutem gnati diuitijs pessimè tuis,  
 Quarum usu fructus, non dominium, tibi datum est.  
 Quid, obsecro, Dominus qui nutu concutit  
 Totum mundum, & qui te his præposuit copijs.  
 Quid inquam proderunt, cùm te uocauerit  
 Ex hoc uitæ curriculo? postquam munere  
 Tuo perfunctus auferes ne numulum.

## STVDENTES

Quare laboras igitur ut opes colligas?  
 Præterea, rationes cum tecum conferet,  
 Damnatum supplicio te mulctabit graui,  
 Te his quoniam proposuit, ut non absconderes,  
 Sed ut indigenti subuenires proximo.  
 Cedò canis, quid facies inopi proximo?  
 Qui non ad studia literarum suggeris  
 Sumptus tuo gnato, quare Themisthocles  
 Rectè dixit, se malle sine pecunia  
 Virum, non inopem sine uiro pecuniam.  
 Cuius ego suffragor lubens sententiæ:  
 Quid enim opes tibi profunt, uti cum nescias?  
 Ego omnem hercule conuerterem substantiam  
 In studia filij, uerbera sed non facit  
 Tanti, nedum uerbis ut uellet obsequi.  
 Quare age, commune tu perpende commodum,  
 Et sumptus suppedita studijs gnati tui.  
 Vides etenim quàm nequeat sine doctis uiris  
 Communis conseruari uita societas.  
 Hi primum dispersos altis in montibus  
 Ferarum more uiuentes homines feros  
 Per leges latas compulerunt, moenibus  
 Nouas urbes cinxerunt, tuti ut uiuerent  
 A uiolento incurso exterarum gentium.  
 Sed legibus malorum ut uim compercerent,  
 Per hos eadem seruaturs parta societas.

Quare

COMOEDIA.

Quare si uis, unâ gnatum mittam meum.  
 Phil. Obtundis, & molestis uerbis me enecas,  
 Perinde quasi ego uitam horum non noscerem,  
 Nam postquam miseros patres uerbis lenibus  
 Emunxerunt argento, quæuis facinora  
 Admittunt sub prætextu honesti nominis.  
 Scortantur, potant indies, & quoslibet  
 Tumultus excitant, in ædes impetum  
 Alienas faciunt, hinc cædes, hinc iurgia,  
 Pedissequas rapiunt in publica uia,  
 Aut cum natabus concumbentes ciuium  
 Fidem dant, & uelint eas quòd ducere  
 Promittunt, id quod & impregnatae postulant.  
 Atqui quod magis est, ualdè mihi quod displicet  
 Vxores coniugatas uitiant ciuium.  
 Hinc sæpè nonnulli occiduntur, aut ita  
 Ceduntur, ut uitæ non sit spes amplius.  
 Aut comprehensi pœna plectuntur graui.  
 Igitur gnatum suum mittat quisquis uolet,  
 Ego mecum decreui meum non mittere.  
 Nam scio quàm sit dura, & quàm multis sentibus  
 Obsita uia, quæ perducit ad scientiam.  
 Quare cum nequeunt sine labore consequi,  
 Nec sine labore ad excelsum culmen datur  
 Conscendere, mox sese ad delicias conferunt,  
 Ad quas lata & amœna, atq; longè tritior



## STVDENTES

Via ducit, namq; hæc ætas est procliuior  
 Ad corporis delitias & libidines,  
 Quàm ad studia, præsertim campo cum currere  
 Datur aperto, & cùm non est qui coërceat.  
 Eos frenis, uel cohibeat petulantiam.  
 Phil. Næ tu ridiculus homo es, nec mente præditus  
 Sana, dum cupis hanc ætatem constringere  
 Molestis uinculis, ut degant cochleæ  
 Vitam, aut Timonis, qui fugiens commertia  
 Hominum, solus delituit in domo sua.  
 An nescis Vlysssem quàm commendet maximè  
 Homerus, quod multorum hominum cognouerit  
 Mores, & multas regiones peragrauerit.  
 Πολλῶν γὰρ, inquit, ἀνθρώπων ἔγνων νόον.  
 Et propterea nunc uocat ipsum πολὺδροσον.  
 Nunc πολὺμκτιν, quod potuerit se uertere  
 In omnes partes, consilijs pollens uafris,  
 Quoniam miser fatis depressus asperis  
 Et multis damnis, nactus est prudentiam.  
 Quapropter, si sapiis noli interdicere  
 Gnato conuiuia & congressus mutuos  
 In his plus discunt, quàm si noctes & dies  
 Chartis inhæreant. Manda, ut nequissimos  
 Sibi adiungat, nam cum deceptus cœperit  
 Egere, posthac non cuiuis credet, scio.  
 Si etiam interdum ut accedat meretricolas.

Quod

COMOEDIA.

Quòd si circumuentus fuerit, non amplius  
 Habebit his fidem, sed auersabitur  
 Sponte sua, demum uera est hæc sapientia,  
 Si quis damno accepto desistit & sapit.  
 Quocircà non tam faciliè possunt decipi  
 Quàm simplices, qui temere in quasuis irruunt  
 Technas, nec imperiti ab his sibi cauent.  
 Præterea perspicuum est, postquàm ad rempub.  
 Accedunt, hanc mira regunt prudentia.  
 Sed qui sunt imperiti rerum, ferè nihil  
 Profunt, nec possunt quicquam in coetu proloqui.  
 Quapropter largiendum est aliquid iuuenibus  
 Nec utendum est censura tam rigida nimis.  
 Postquam pertæsum fuerit, desistent, scio,  
 Et uitam melius etiam formabunt suam.  
 Quare, si libet, unà gnatum mittam meum.  
 Phil. Age, ut lubet, uestre accedo sententiæ  
 Consilium perplacet, quare ne sim in mora  
 Eamus intro. Puer heus Philomathen uoca,  
 Vos itidem uestros quoq; iubete accersere.  
 Eub. I præ, sequar, fiet, non ulla erit mora.

ACTVS I. SCENA II.

Philomates, Acolastus, Acrates.

Trimetri.

**E**quidem lætus sum, sed demiror cur pater

## STVDENTES

Tam subito iussit me per puerum accersier,  
 Nisi id est, quod semper insedit animo meo.  
 Ad mercaturam forsitan uult me mittere,  
 Ingenuarum artium, ut his mentem meam excolam  
 In quod petiui, & dum uiuam semper petam,  
 Quamuis adeo abstinatè sibi proposuerat,  
 Se nolle tantos sumptus ad studia dare.  
 Sed quid sit experiar, domum & me conferam.  
 Verum nisi fallor, uideo properantem Acratem,  
 Et Acolastum percontabor quid sit noui.  
 Saluete sodales, cur festinatis? quid este  
 Acol. Pater tuus nostros secum duxit patres  
 Qui nos uocarunt per pueros, ut sine mora  
 Illico ueniremus ad ædes patris tui.  
 Phil. Age eamus, demiror quid hoc sit omnis.  
 Acra. Sat scio, erit nobis audienda concio.  
 Idcirco percontare ex ipsis quid uelint  
 Nos te sequemur.

## ACTVS I. SCENA III.

Philomathes, Acolastus, Acrates, Eubulus,  
 Philostorgus, Philargyrus.

Trochaici, Tetrametri, Catalectici.

**S**aluete patres humanissimi (mus  
 Iussu uestro huc accersiti, sine mora nunc adsus  
 Mandatis uestris obtemperaturi proptissimè.

Eub. Pergratum nobis fecistis, adolescentes optimi

Quod

COMOEDIA.

Quod tam properè ad nos huc aduolastis, rebus omnibus  
(tiam,

Posthabitis, & laudamus meritò uestram obedientiam

Quare quæ sit causa dicā, quòd uos huc uocauimus  
 Inter nos diu multumq; consilium captauimus,

Quam tandem uiam uiuendi inire uos oporteat.

Visum est nobis, filioli charissimi, non ob leues

Causas, ut animum adiungatis ad studia bonarum  
 artium.

Quapropter, si uobis consilium placet, paucissimis

Verbis uestram quisquis significate mentē, nec diu

Nos tenete suspensos, statim uos in Academiam

Mitemus, sumptusq; quantum sat erit suppeditas

Philo. Vehemēter nimis me exhilararunt, (bimus.  
 quæ dixisti modo.

Non enim quicq; esse posset, quod me tanto gaudio

Afficeret, præsertim quod, dum uixi, non unquam  
 improbis

Precibus impetrare potui, nunc at defertur mihi

Vltro: quare polliceor uobis, me neruis omnibus

Elaboraturum, ne frustra abliguriam bona

Patriæ: sed longè ut reuertar, quàm antè fueram do  
 ctior.

Acco. Quamuis non nihil, pater, reluctatus sim, nunc  
 tamen (tibus.

Do fidem, me obnixè operam daturum ingenuis ar

Acra.

## STVDENTES

*Acra.* Idem ego polliceor uobis, patres longè humanis-  
simi.

*Eu.* Perplacet mihi modesta hæc omnium responsio.  
Quare cū breui in peregrinas oras transmittimini.  
Paululum mihi attentè auscultate, atq; animum ad-  
uertite.

Nam salutiferis uos informabo cantiunculis.

Vos etenim peruersos dum ignoratis mores seculi  
Imperiti rerum, in quasuis irruetis fabricas.

Primum igitur cum nullū uiuat animal pestilentius  
Quàm mulier, caute ne uos pelliceant blandissimis  
Verbis in sui amorem, quo: quoniam sub imo corticè  
Fel tegit, extra melle perlitus longe dulcissimo.

Deterius nihil est, nam postq̄ emunxerunt pecunia  
Incautos iuuenes, eijciunt, illudunt, & indice

Ostendunt digito, nam foemina est nil incoſtantius.  
Quarum non secus mens nunc huc, nunc etiam illuc  
fluctuat,

Quàm carens rectore cum uarijs agitatur flatibus  
Nauis in magno pelago, quid quod & immensa in  
commoda

Ex mulieribus sunt profecta, quæ nunc perlongum  
foret

Singula enumerare, sunt etenim cuius satis obuia  
Quare dum licet, iugum excutite hoc uestris cer-  
uicibus,

COMOEDIA.

Præterea quoq; mala fugite suadeo consortia.  
 Nam per hæc bonæ indolis iuuenes sunt sepe in mas  
 ximam.

Ducti perniciem, etiam in uitæ sæpius discrimina.  
 Assiduas potationes, ludos, atq; cætera,  
 Ex quibus iurgia, conflictus, cædes nec non pessimæ  
 Pestes oriuntur & abūdè, ut ex mari omnia flumina  
 Veniunt, fugite, nec minus tanquam perniciosissimã  
 Pestẽ, assentatores, nam melius quis uitam degeret  
 Inter coruos quàm inter hos, quippe, ut qui uiuos  
 deuorent,

Illi uero non nisi mortuorum hominum cadauera  
 Ut fertur memorabilis dignaq; scitu sententia.  
 Postremo perferte et abstinete, quæis complectimur  
 Omnem nostram uitam, iuxta Epicteti sententiam.  
 Ingenuis studijs dies noctesq; incumbite gnauiter.  
 Vitã instituite ut leges, regionisq; ut mores ferent.  
 Hæc igitur uestris mea dicta sensibus recondite.  
 Intus argentum, ne differatur, dinumerabitur.  
 Quare ibimus, & ad uiã quæ spectant apparabimus  
 Ut cras summo mane, quod dii uortãt bene, feliciter  
 Proficiscamini. Phil. fiet pater. Heus quanta hæc est  
 lenitas,  
 Disrumpor miser, tanto me inexpectato gaudio  
 Implentur. Quare immortales, quas possunt tibi  
 gratias

## STVDENTES

Summe Deus ago, hanc quod mentem patribus nostris infuderis.

Tu igitur cœlitus tua nosmet perfunde gratia,  
Et largire, studia ut succedant quàm felicissimè

### ACTVS I. SCENA IIII.

Eubulus.

Senarij.

**P**Roh Dij uostram fidem, quanta est iniquitas  
Hominum imperitorum, qui ex ipsa infantia  
Statim gnatos suos uolunt fieri senes,  
Nec cum sodalibus sinunt colludere.  
Ac si potare, aut interdum ad meretricolas  
Accedere, sit scelus, ut ignosci non queat.  
Siquidem nos, dum tulit ætas, eadem fecimus.  
Nam scio, quanto labore uix persuascri  
Vicinum nostrum, quem uocant Philargyrum,  
Ut gnatum ad literarum studia mitteret.  
Sed is dum malè saluti gnati prospicit,  
Timet frustra (quod aiunt) ne cœlum ruat,  
Ne amet, ne potet, id est, ne frontem exporrigat,  
Quoniam ipse isthuc ætatis hæc non fecerit.  
Sed cum nunc sint ad studia ingenuarum artium  
Profecti, faxit Deus ut succedat benè.

### CHORVS PRIMVS.

Stulte quid immensum moriturus cõgeris aurum?  
Quid tibi conducent totius orbis opes?

Quàm

COMOEDIA.

Quam breuis, ignoras, sit uita humana, putasq;  
Cum te Tithonum, mox periturus eris.

Obruet incautum, nam te mors terminus aui,  
Et tua sanguinea stamina falce metet.

Letior expectat nigri te portitor Orci,  
Diuite ab hoc, dicens, præmia magna feram.

ACTVS II. SCENA I.

Acolastus, Acrates, Philomates, Danista.

Octonarij quadrati.

**E**X tam longo itinere defessis nobis utinam con-  
tingeret

Idoneum hospitium, ubi cibis, epulis et rebus cæteris  
Possemus languentes recreare uires animi & cor-  
poris.

In hac habitare platea aiunt bonum quendam & his-  
larem hospitem,

Apud hunc diuertemus, corpusq; fatigatum recrea-  
bimus.

Pulsabo igitur fores. Heus actutum aperite aliquis  
ostium.

Dan. Vos aduenisse incolumes gaudeo letorq; ma-  
ximè,

Sed quid sit, ad me cur uenistis, perquã scire gestio,  
Quapropter aduentus uestri causam breuibus ex-  
ponite.

Acol,



STVDENTES

Acol. Nos huc ad literarum studia consilio missi patrum.

Quoniam celebritas uniuersitatis longe increbuit, Petimus, ut non hospitio excipere uelis, & quam lautissimè.

Instructis epulis recreare, ut decet. Dan. nihil opus est pluribus

Verbis, fiet, parata quin iam sunt omnia, ne sit mora. Ite intrò ut capiatis cibum. Aco. I prae nos sequemur te hospitem.

ACTVS II. SCENA II.

Musopolus, Colax.

Trochaici, Tetrametri, Catalectici.

**A** Ge age, si uacat, Colax, paululum deambulabimus.

Quis etenim domi solus nunc posset delitescere?

Tam sereno caelo, tamq; amœno nempe tempore,

Quo tellus foecunda producit fructus uberrimos.

Col. Rectè dicis, ego eo una, paucis confabulabimur

De quibusdam rebus, non enim decet ut inanibus

Nugis transmittamus tempus. Muso. Consilium mihi perplacet.

Col. Conferemus igitur inter nos de concentu orbium

COMOEDIA.

Æthereorū, ac primū tu tuam mihi dic sententiā.

Mu. Rem profectò difficile proponis, eloquar tamē:  
 Ætheream regionem octo distinxerunt cœlestibus  
 Sphæris, uidelicet septem planetarum, quas nuncu-  
 pant

Errones, & his accedit sphæra octaua & maxima  
 Firmamentum, quod cœlum quoq; nunc pleriq; ap-  
 pellitant.

Hæ quia circulariter mouentur, quædam tardius,  
 Et quædam uelocius, distinctos efficiunt sonos.  
 Nec fieri potest, ut esset tacitus motus orbium,  
 Quandoquidē sonum reddit percussus aër uimine,  
 Hunc concentum propter suauitatem Musas nuncu-  
 pant.

Lunarem globum Clio, Mercurium Euterpen nomi-  
 nant.

Et Venus Thalia, Melpomeneq; solis orbita,  
 Mars Terpsichore, Iupiter Erato, sed sidus Satur-  
 nium

Dicitur Polyhymnia, at cœlum uocant Vraniam,  
 Sicut nomen indicat, quæ sic concordantes sonum  
 Efficiunt postremum, qui de suauitate dicitur  
 Calliope, et ob id Ascræo poëtæ est præstantissima,  
 Quæ fit ex concordante harmonia cœlestiū orbium,  
 Sicut octo pueris cantillantibus unus fit sonus,  
 Ex puerilium uocum qui constat concordantia.

## STVDENTES

Co. *M*irra refers, humanae mentis miror perspicaciae  
 Sed qui fit, quòd tam suavis sonus non possit percipi  
*Mu.* Cum respectu caeli terra non sit magnitudine  
 Exigua notabilis. Tanta amplitudo in circulis  
 Est caelestibus, quare reddunt sonum quoque maxi-  
 mum,

Quem non capere possunt aurium nostrarum angu-  
 stiae:

Sumus enim caeli respectu Atomi uelut Democriti,  
 Sicut populi, qui accolunt Catadupa Nili diuitijs,  
 Ingentis fragoris amplitudinem non audiunt.

Col. Suauiter mihi philosopharis perge si est tibi  
 otium,

Mus. Hæc quia demulcent aures, ideo apparent ue-  
 rissima:

Sed ego conuincam non esse concentum caelestium  
 Spherarum, argumentis firmis, te tu mox assenties,  
 Non enim pulsantur, nec si pulsarentur edere  
 Vel minimum sonum, nam caeli corpora sunt cras-  
 sissima,

Præterea absurdum, soni declarat definitio.

Nam sonus ex collisione collisorum corporum  
 Nascitur, in qua aër percussus ad aures nostras per-  
 uenit.

Hic tria sunt, percutiens, aër, & collisa corpora.

Verum illic non est qui percutiat, nec sese mutuo.

Contin.

COMOEDIA.

Contingunt, igitur nec possunt se simul collidere.  
 Atqui, demus ut se collidant; sonus sine aëre  
 Neutiquam fiet, qui percussus ualidè facit sonum:  
 Suprà Lunæ aut globum lucentem non esse aërem,  
 Vnusquisq; sanæ mentis compos faciliè colliget;  
 Cum nihil supra Lunam mutationi obnoxium  
 Et multò minus corruptioni ostedi posset.  
 Aërem porrò mutationi non obnoxium  
 Esse, si quis diceret, nulla ratione præditus  
 Iudicaretur, totiq; naturæ contrarius.  
 Quare destructis principijs atq; causis omnibus,  
 Efficitur, propter circumgyrationem existere  
 Non posse sonum, quapropter nunquam mihi per  
 suadebitur:  
 Sed satis confabulatum est, aliò nunc me conferam.  
 Co. Herclè diuina est mentis tuæ in rebus sagacitas.  
 Verum quandoquidè nunc aliò te rapiunt negotia,  
 Iam diutius non detinebo, & magnas gratias  
 Non solum ago, sed etiam habeo, ego hâc ibo, tu in  
 terim uale.

ACTVS II. SCENA III.

Philomathes, Acolastus, Acrates, Colax,  
 Scazontes.

**E** Nimuerò cutem curauimus lautè,  
 Et corporis perbellè reduximus uires,

## STVDENTES

Nunc igitur restat, ut doctissimo nosmet  
 Præceptori, qui nos ad culmen excelsum  
 Doctrinæ ducat, submittamus, ut lætis  
 Studia procedant auspicijs. Acol. Mones rectè,  
 Eamus igitur, ut docto, pio & cuius  
 Fides perspecta est omnibus (oppido nam sunt  
 Hæ uirtutes raræ) credamus, ut ductu  
 Huius non solum discamus bonas artes,  
 Sed moribus etiam, qui nos decent, castis  
 Mentem informemus. Acra. Adolescentulum com-  
 ptum

Viden? certè habitus studiosum indicat, quare  
 Ex hoc queremus, qui sit antesignanus  
 In hac tam clara & celebri Academia, ne nos  
 Indocto credamus, ne & (quod solet dici)  
 Cæcus cœcum ducat, tu exquire rem ex ipso  
 Philomathes. Ph. Salue adolescens plurimum. Col. In-  
 gentes

Ago uobis gratias, paucissimis quid sit,  
 Quod uultis, expedite, nam mihi iam non  
 Licet uobiscum multum fabulari, sed  
 Negotia me aliò uocant, age uno dic  
 Verbo. Phi. Fiet. Petimus nos certiores ut  
 Reddas, quis antecellat cæteris, & quis  
 In hac Academia quàm plurimos semper  
 Erudiat studiosos, nam nos quoq; huc misit,

COMOEDIA.

Vt animum adiungeremus ad bonas artes  
 Col. Non infimo uos iudico loco natos,  
 Id quòd mores, uultus uerecundus, & deinde  
 Vestitus, incessus, subindicant clarè.  
 Quare quod petijstis faciam lubens, & uos  
 Ducam ad Pedeuten, qui nunc cæteris præstat  
 Longissimè studio, pietate, doctrina,  
 Fide, quæ nunc res inter mortua est penè.  
 Huius igitur fidei uolueritis si uos  
 Committere, sequimini, nam uos huc adducam.

ACTVS II. SCENA III.

Colax, Philomathes, Acrates, Acolastus, Pedeutes  
 præceptor, Phrontistes famulus.

Senarij.

**H**Eus heus nemon? prodit? Phro. quis est, qui  
 calcibus

Insultat ianue, quid uis, uel quid cupis?

Col. Est præceptor domi? Phr. est, sed mihi, ne quem  
 piam

Ad se intromitterem, mandauit serio.

Verùm expectato, mox reuertar huc foras.

Colax adest ducens tres adolescentulos,

Vult intromittier tecumq; colloqui,

Me primum iussit introire, ut quærerem

An sibi pateret aditus ad te paululum.

## STVDENTES

*Ped.* Age accedat. *Col.* Quid nunc licet? *Phr.* introi-  
te iam.

*Col.* Salue præceptor. *Ped.* Habeo gratias. Sed quid  
cupis

*Hoc comitatu?* *Col.* Vt eos ad te hûc introducerem,  
*Petierunt*, uerum quid cupiant mox audies.

*Ped.* Auentus uester est mihi optatissimus.

Sed quare huc aduenistis, scire peruelim.

*Phi.* Nos claritate nominis tui & scholæ

Exciti consilio patrum hûc deuenimus,

Vt animum adijceremus ad ingenuarum artium

Studia, quibus imbuti non solum ecclesiæ,

Sed & possimus prodesse reipublicæ.

Cum igitur tu cæteris præstes longissimè

Docendi studio, & (quod nunc est rarissimum)

Fide, petimus nos in disciplinam ut uelis

Recipere, pollicemur diligentiam

Iugem, & nos gratos erga te exhibebimus,

Non solum præcio, sed tui etiam memoria,

Quam non lethe poterit, dum uiuam extinguere,

*Pe.* Equidem talentum quod mihi est concreditum

Humi non mandabo, sed cuius libera

Ad usuram dabitur utendi copia.

Nam semper impense omnibus studui bonis

Prodesse, idcirco ne nunc etiam abscondere

Lumen uidear, recipio uos quidem lubens,

COMOEDIA.

Nam multum pollicetur mihi bona indoles,  
 Quæ in uobis elucet fulgore maximo,  
 Quàm etiam natura ostendit signis plurimis.  
 Nam præterquam, quòd frontis mihi mediocritas  
 Pilorumq; color medius nimium non niger  
 Nec albus nimium, & quoq; capilli crispuli.  
 Ostentant ingenium bonamq; memoriam:  
 Sed etiam lineamenta omnia corporis  
 Immensum quiddam & magnum promittunt mihi,  
 Huius etenim scholæ lex est, ἀρεῶμετες  
 Ne quisquam introeat, quare diligentiam  
 Si adhibueritis, non dubito, quin breuissimo  
 Tempore percipietis fructus uberrimos.  
 Sed cum non liceat ad Musas lata uia  
 Currere, uerum angusta nimis atq; sentibus  
 Multis obsita, ad excelsum montis uerticem,  
 In quo Phœbus uirginibus stipatus nouem  
 Sedet tangens citharam canoram pollice:  
 Pellite dissidiam, nam segnes ab hoc procul  
 Arcentur colle, quippe qui per maximos  
 Sudores ascenditur, & diligentiam  
 Vigilem, quare improbo labore hîc est opus,  
 Si quis scientiæ uult fructus carpere.  
 Nam literarum radices Isocrates  
 Amaras dixit, sed fructus dulcissimos.  
 Hinc ueteres pingebant Mercurium & Herculem



## STVDENTES

Cupidini iunctum, quippe quod ingenium, amor  
 Et labor in eo requiratur, qui ascendere  
 Vult ad præruptum & arduum scientiæ  
 Collem. Labori uos fortiter opponite,  
 Sicut se palma contra onus in altum erigit,  
 Nam permagno labore diuendunt bona  
 Omnia hominibus, sic tandem dabitur liberè  
 Ad musas currere, quas me duce uidebitis  
 Breui, à quibus edocti rerum scientiam  
 Multarum, immortalis fama clarebitis.  
 Non etenim ad rem parandam faciunt literæ  
 Solum, sed & fauorem regumq; & ducum  
 Conciliant, quamuis sit doctus inops, ditior  
 Multò quàm indoctus omnium ditissimus.  
 Nam doctus non ignem, non fortunam timet,  
 Non exilium, sed cuncta bona secum gerit.  
 Quare labore & uigilijs contendite  
 Ad excelsum culmen doctrinæ ascendere.  
 Ad cuius limen assident cura & labor:  
 In me non deerit uobis studium, non fides.  
 Phi. Fiet præceptor, omnibus insudabimus  
 Neruis & literis semper inhærebimus.  
 Nam scio, quid possit ignauum & molle ocium.  
 Non etenim solum ad uitia est fomes plurima,  
 Sed etiam ingenij uires reddit languidas  
 Et corrumpit, quas intendit uel maximus

Labor,

COMOEDIA.

Labor, ut est in ferro cernere durissimo,  
 Quod citius cum iacet scabra rubigine  
 Conteritur & consumitur, quàm maximo  
 Vsu, ergo totis incumbemus uiribus.  
 Labores nullos impigrè fugitabimus,  
 Ut possimus penetrare ad montis intimos  
 Secessus, tu uale igitur nunc charissime  
 Præceptor. Pe. Et uos adolescentes optimi.  
 Deus fortunet uestros conatus pios.

ACTVS II. SCENA V.

Myspolus, Colax.

Tetrametri, Iambici, Catalectici.

**H**Eri per strenuè quidem usq; ad primam no-  
 ctis horam

Potauimus, omnesq; Colax, adeò sumus inebriati,  
 Ut uix possemus stare, quin ad terram laberemur  
 Proni, ut solent hi qui laborant morbo Comitiali.  
 Siquidem breuis Epilepsia est ebrietas, eruditi  
 Viri ut dicunt. Cum igitur nos facias cepisset bi-  
 bendi,

Prodimus in forum. Primum ingens nobis multitudo  
 Cerdonum uenit obuiam, qui in nos strictis ruentes  
 Gladijs, magna ui faciunt impetum, hos animi uirili  
 Sic cædimus, ut uicti tandè dare terga cogerentur.  
 Multosq; uulnerauimus, ut uix spes uitæ sit ulla.  
 Mox orto clamore in nos insurgit uigilum caterua

## STVDENTES

Armīs radians, pars gladios stringunt, pars magno  
tumultu

Torquent uenabula, quos statim egimus in fugam ut  
columbas

Aquila solet, uel lupus agnas, ceruam ut leo fugare:

Risu emoriebar, quod tam turpiter hi, quibus salutē

Vrbis senatus commisit, fugerent. Co. Age quid de  
inceps?

Ciues ne sunt commoti: nam prompti aduersus stu-  
dentes

Esse solent. Mysp. Maximē, concurrunt mox clamore  
re magno

Instructi armis. Sed nos ad nostrū confuginus asylū.

Quis enim cum tāta stultus multitudine dimicaret?

Col. Laudo nec possum quin suspiciam hoc tantum  
facinus audax.

Cur etenim à uobis uim illatam non depelleretis.

Nam bruta, quamuis nostræ sint expertia rationis,

Propulsant externam uim, quare non nobis liceret?

Verū isthæc misse faciemus, age ad proximam ta-  
bernā

Vinariā ibimus. Sed est ne ille Acrates et Acolastus,

Qui nobis obuiam procedunt? hercule sunt, quid hoc  
sit,

Demiror, q̄ tantoperè festinent. Mys. Ad lectionem

Fortasse ituri sunt. Co. Expectabo atq; interrogabo.

Actus

COMOEDIA.

ACTVS II. SCENA VI.

Myssolus, Colax, Acrates, Acolastus.

Septenarij.

**C**O. Saluete plurimum sodales optimi, sed heus  
 Quò tenditis? quid festinatis? Aco. Nihil, nisi  
 cum diu

Hora sit audita, ad lectionem ut mox me conferam.  
 Siquidem neglecta lectio nunquam reuertitur,  
 Nec uelut Euripus Euboicus rursus reciprocatur.

Col. Huiusmodi ad lectionem? Acra. Quorsum uos ergo  
 ibitis?

Col. Nos symbolum contulimus apud Deleasthise  
 patrem,

Ibi aliquantum potabimus, nam genio addiximus  
 Totum hunc diem, multis quem transmittemus  
 gaudijs.

Quare si uultis ire nobiscum acceptissimi  
 Eritis sat scio, ubi sunt præterea iuuenes plurimi  
 Spectatæ fidei, castis exornati moribus,  
 In quibus est nihil simulatum, quin aperto pectore  
 Omnia agunt, cum quibus in tenebris mices tutissi-  
 simè.

Non est quod timeatis, ego pro uobis ponam lubes.  
 Acr. Non possum, præsertim lectionis horula  
 Cum instet, quam non libenter negligimus: deinde  
 pater

## STVDENTES

Potationes nobis interdixit serio.

Mandans, dies & noctes ingenuis ut artibus

Incumberemus. Myſſo. Ego in his non morem gero  
patri,

Vſq; adco dum hanc reget uitalis animam ſpiritus,

Dum uernat ætas, dum uegetæ ſunt uires corporis,

Vitam multis uarijsq; illecebris lætus tranſigam.

Volubili nam grefſu hæc ætas citò præteruolat.

Quare morofitati non erit apud me locus.

Scio etenim cſſoeta quid ſecum ſenecltus aduehat,

Triftitiam, languorem, imbecillitatem corporis,

In quã tot morbi, totq; infortunia magna incidunt,

Vt deliria, mortis inopinus horis ſingulis

Aduentus expectandus, atq; quæ ſunt cætera.

Ad eam ſtadio decurſo poſtquam metam uenero,

Tunc ſapiam, tunc prudens ero, deſtitutus uiribus

Cum fuerò, ſponte ceſſabo, atq; cum illis ſeculi

Huius mores deſpiciam, annihilabo, ut ne quid ſuprà.

Nam cum ipsis non licuerit rebus his operam dare,

Vel per moroſos præceptores & rigidos patres,

Aut per egeſtatem, nobis eadẽ prohibent et uetant,

Felicitatem hanc nobis inuidentes inuidi.

Quare delitijs perfruar, quas adoleſcentia

Fert, & uos, ſi ſaperetis mecum faceretis ſcio.

Rogo igitur ſi poteſt fieri, ut nobiſcum illuc ſimul

Eatis, ego uiciſſim non mortis pericula

Adire

COMOEDIA.

Adire formidabo, me dicetis alterum  
 Pyladen, qui se sepè Agamemnonium Oresten dia  
 xerat

Apud Thoantem regem Scythiæ, ut eum periculis  
 Eriperet mortis, uitam non dubitauit ponere.  
 Præterea tibi amicitia iunges iuuenes plurimos  
 Stemmata præclaros, & genere ortos nobilissimo.  
 Acol. Age, camus unà. Sed posthac ero diligentior.  
 Nam non possum semper chartis & studijs immori.

CHORVS SECVNDVS.

Quotquot Pierij numina uerticis  
 Intonsumq; colunt Pegasidum ducem,  
 Noctes atq; dies pectore cogitent  
 Vt prauos fugiant & temerarios,  
 Syrenum ueluti dulcia carmina.  
 Nanq; hi uirgineos non maculant modo  
 Mores, quinetiam ad pessima sunt mala  
 Calcar pernities fœda dolis scatens.

ACTVS III. SCENA I.

Acolastus.

Senarij. Iambici.

**D**Eum immortalem quantus ignis æstuat  
 In me, qui quoniam per uenas passim repit,  
 Totum cor incendit flammis furentibus:  
 Vt uidear mihi pro uerbis flammam emittere,

Ence

## STVDENTES

Enceladus quamuis inflammat Trinacriam,  
 Dum fumantes flammæ iratus euomit:  
 Audacter affirmare ausim, maioribus  
 Me torqueri æstibus, quin uerba flammea  
 Videntur, adeò me Deleasthise coquit  
 Et formæ decus, & morum castimonia.  
 Taceo cætera tam corporis quàm animi bona.  
 Nam formæ tantus est splendor, uix ut putem  
 Esse aliquam, cum qua meritò conferri queat,  
 Quin etiam Ioue Saturnio dignissima.  
 Qui captus nunc Europæ, nunc Calistonis,  
 Nunc Ius, nunc Semeles, formis pulcherrimis.  
 Sed ex huius forma plus incallescet,  
 Quàm Cytheræ præferret Priameius Paris,  
 Quæq; aurum pomum ferret dignissima.  
 Quid referam nigricantes oculos? quid ebore  
 Candidus collum? quid cæsariem ceu auream?  
 Deniq; color sanguineus mixtus lacteo  
 In facie, quid memorem turgentes mammulas?  
 In summa, tanta est corporis laudabilis  
 Habitudo, ut in hanc deos deasq; omnes rear  
 Certatim contulisse munera splendida,  
 Ac singulari effectam diligentia.  
 Certè formam Venus dedit, animi bona  
 Minerua, dicendi leporem Atlantius  
 Iuuenis, nam quoties ueniunt uerba uirginis

COMOEDIA.

Mihi in mentem, quæ inter nos facta sunt heris  
 Ita exardesco, ut nisi amorem meum expleam,  
 Actum sit de me, & uita non spes amplius.  
 O utinam tantum me à te mare disiungeret,  
 Quod Abidenum iuuenem & puellam Sestiam  
 Disiunxit, non timerem impetuofum mare,  
 Quin subito ad te tranarem, modo mihi copia  
 Tui fieret. Nam timidus & segnes amor  
 Odit, nec uereor quod sit submersus miser.  
 Non idem semper uniuersos exitus  
 Manet. Tu igitur alma Venus aspiria meis  
 Cœptis, & fac puella infelix ut fruam.  
 His etenim adesse soles, qui sub Cupidinis  
 Tui gnati signis merentur fortiter.  
 Fac igitur parili ut amore puella exæstuet.  
 Per te Atalantam pulcher cursu transgressus es  
 Hippomanes, poma postquam emisit aurea,  
 Quibus tollendis impedita uincitur.  
 Tuo beneficio rapuit Helenam Paris,  
 Propter quam tota Asia est euersa funditus.  
 Sed stulus inuentos quid amorem effutio?  
 Aggrediar rem, en iam commodum prodit foras,  
 Nunc dabitur colloquendi latè copia.  
 Amorem detegam remotis arbitris.  
 Si nil preces ualebunt, addam munera  
 Quæ conciliant deos, ne dum animum muliebrem.



STVDENTES  
ACTVS III. SCENA II.

Deleasthisa, Acolastus.

Trochaici, Tetrametri,  
Catalectici.

**A** Edepol nunc primum sentio, nunc misera in-  
telligo

Quid possit amor, quem tam sepè execraui indis-  
gnissime,

Omnesq; puellas tamquam non sanæ mentis com-  
potes,

Quæ capi se amore perpeffæ sint ualdè turpiter,

Nempe Medeam et Scyllam et Minois regis filiam.

Nunc palinodiam cogor cantare, nam uis maior est

Aligeri Dei, quàm ut imbelles possint muliercule

Huic sese opponere, qui maximum Iouem coëgerit,

Vt tauri uel cygni formã indueret, stulta igitur fui,

Quòd sum sepè amorem uerbis detestata pessimis,

Nanque amor, ut sequentes ducit, sic reluctantes  
trahit.

Id quòd experior nunc misera, quæ modis exerceor

Miris. Acolasti etenim forma excellens me coquit,

Qui fortè heri apud nos unà aderat hesternò in con-  
uiuio.

Hunc postquàm conspexi, flammam concepì imò pec-  
tore,

Vt nisi optato ipsius perfruar amore, funditus

COMOEDIA.

Perierim, quare deos imortales supplex precor,  
 Ut nos optatis Hymenæis iungant Iunone auspice:  
 Quod si non fiet, laqueo uel ferro uitam finiam,  
 Et Parcis inuitis truncabo fatalia stamina.

Aco. Arrige nunc aures Acolaste, tua agitur iam  
 res & salus.

Age ne te maceres, tui te faciam uoti compotem.  
 Non possum me continere quin salutē et colloquar:  
 Salue mea Venus, salue & Charis tu mellitissima.  
 Dele. Euge Acolaste, salue ab imo calce ad summum  
 uerticem

Cur tristis? cur pallidus? quare ducis suspiria?  
 Num mali tibi quicquam contigit? nam sunt hæc se-  
 cula

Insidijs hominum plenissima, dum melius sibi cupit  
 Quisq; quā alteri, enarra quid afflictet te, corculū.  
 Acol. Hei mihi. Dele. Per deos omnes te mi animule  
 oro & obsecro,

Ut mihi detegas audacter quid miserū te mordeat,  
 Omnibus neruis operā dabo ut tibi benè consulam.  
 Aco. Omnino nihil, non coelum sudum est omni tem-  
 pore.

De. Facies indicat tua pertristis dolorem maximū,  
 Quem nisi notum feceris mihi, peribo funditus.  
 Dic age, num quisquam tuis doloribus mederier  
 Possit. Acol. Herclè nemo nisi tu sola potes, quare  
 adiua,

STVDENTES

Del. In me non erit mora, tu saltem mihi mentem aperi tuam.

Aco. Age uerò, dum adeò isthæc, delitium meum, scire expetis,

Da fidem te nulli credituram, & nusquam gentium Diulgaturam. Del. En dextram meam, quæ fidei symbolum est.

Angerronè me dices, Aegyptiū atq; Harpocraten.

Aco. Cū mihi nuper a sideres prælauro in conuiuio, Cœpi Delesthisa contueri tam laudabilem

Formā, qua præstas, quaq; antecellis uel longissimè

Omnibus puellis. Hesperus ut quàm fulgidissimas

Stellas uincit, & Lunam Sol ut fulgore maximo

Superat: sic tibi laude formæ nulla uirgo æquabitur,

Sed uelut præsentē Sole pereunt omnia sydera:

Sic tecum collata forma cunctarū obtenebrabitur.

Singulæ nā partes corporis sunt dignæ amplissima

Laude, queis narrandis, ne dum exornandis, uix

Gallicum

Herculem satis facturum existimem, uel Nestorem.

Gemina quis dignè laudet rutilantia fronte lumina?

Ex quibus uel mille gratiæ cateruatim emicant.

Quis roseum os? aut quis genas rubicundulas? Quis palpebras

Nigras laudet? quis capitis pilos celebret uel aureos?

Quis mammillas eminentes summo laudet pectore?

Deniq;

COMOEDIA.

Deniq; cuncta respondent sibi, quæ sunt toto in corpore.

Nil nimis magnum, nihil paruum nimis, symmetria  
Iusta confirmata sunt, satis mirari ut non queam  
Quæ, dum cautè circumspecto Deleasthisa singula,  
Coepi perditè te amare, nam per oculos influit  
Sæuus amor cordis penetrabilia intima, ceu per cana-  
nulas,

Qui me flammiferis sagittis transfixit crudeliter,  
Adeò ut nec die quies mihi sit, nec nocte carpere  
Somnum possim, sed semper tua forma obuersatur  
mihi,

Vt meum nisi amorè expleuero, perierim funditus  
Ipso in flore ætatis, ceu rosa quæ calore maximo  
Solis cum fuerit correpta, marcescit mox decidens.  
In tua cum sint igitur manu tam mors quam uita, te  
Supplex obsecro ut uitam mihi dones, ne uè me sinas  
Morte perire, meæ & uoluntati acquiescas, mel  
meum.

Posce quiduis uolueris, uel præciosissima munera,  
Nam tibi nil denegare possem, quin mox largiar.  
Del. O indignum facinus, Proh Deus audacem impu-  
dentiam:

Vah qua fröte sollicitare me audes de stupro scelus?  
An me uenalem, aut in propatulo me habere existi-  
mas

## STVDENTES

Intactam pudicitiam? an cum scorto te nunc publico  
 Verba facere? nec mei ratione habes, canis impudens.  
 Ni fidem tibi dedissem, proh quantas turbas darem.  
 Nobis non eadem ratio est, quæ uobis adolescentibus.  
 Virgines enim omnes conferrem cum ueste serica,  
 Adolescentes porrò referunt aurum quàm purissimum:

Nā uelut illa, cū semel maculas turpes assumpsit:  
 Aut in cœnum si demersa fuerit impurissimum,  
 Elui potest nec arte, nec labore maximo,  
 Aurum uerò quamuis commaculatum, extergi sic  
 potest

Etiam plus ut nitcat, quā antè, si purum putū foret:  
 Sic adolescentes flocci faciunt, quia illis non obest,  
 Sed nos si semel consperse fuerimus tenui nota,  
 Nunquam detergemus acceptam à nobis infamiam,  
 Quare oportet, ne pudicitiam perdamus turpiter  
 Inuibilare cautè, quæ nobis dos est amplissima,  
 Quam semel lasam nunq̄ redimes uel ære maximo.  
 Aco. O crudelitatem immensam, & ô seuitiam Ty-  
 gridis.

An non te miseret mei? quem cernis contabescere  
 Nimio amore, nō secus ut quondā Clytiæ miserrima  
 Cū iam sim repulsam passus, multorum exemplū  
 sequar,

Et uel ferro uel laqueo salutem quæram, tu lues

COMOEDIA.

Pœnam, quæ mortis feræ mihi causa es crudeliſſima,  
Deleaſthiſa, do fidem, & iuro per conſcia ſidera,  
Me te ducturum uxorẽ domum, ex me ſi conceperis.  
De. Dij te perduint cum iſthac procacitate, peſſime.  
Aco. Quò fugis, audi uerbum unum. Del. Non audio  
petulantiffime.

Aco. Non poſſum nõ admirari cunctarũ uerſutiam,  
Adeò ut omnes in eodem ludo edoctas eſſe arbitrer,  
Quòd tã pulchrè diſſimulare didicerint, et calleant,  
Id quod nunc in Deleaſthiſa cognoui certiffimè.

Quæ cum amore tanto exæſtuet diſſimulat optimè,  
Sic eſt ingenium muliebre his inſtitutum moribus,  
Ut quantò plus exoptent, tantò opponãt ſe fortius.  
Quo magis expetant, eò reluclètur plus & negent.  
Nam cogi uolunt uolentes, & reluclantes petunt.

Sed ad eam me conferam, intus ut reconciliem mihi,  
Et petam ut conuiuium apparet nobis lautiffimum:  
Nam Colacem cũ Myſſolo, et Philoſtaſium ipſumq;  
Acratem

Inuitauit ad coenam, cum quibus cras frontem expor-  
rigam,

Quandoquidem pater cũ matre ad amicos iam pro-  
fectus eſt.

ACTVS III. SCENA III.

Acolaſtus, Deleaſthiſa, Colax, Myſſolus,  
Philoſtaſius, Acrates, Cerdones.

## STVDENTES

Sendrij, Septenarij, & Octonarij mixtim.

**P**Ver heus, in sterne mensam, post ocysimè

Ad Colacem & ceteros te confer, ut sine

Mora ueniant iube, cuncta esse dicito

Parata, mox uoca aliquem qui cœnantibus

Nobis ludat fidibus, ne quid desit uide,

Tu Deleasthisa compara coronulas

Aliquot, conuiuis quas des aduenientibus,

Postquàm uerbis blandoq; amplexu exceperis,

Vt sint omnia superflua, ne desit uide.

Abundè cras soluam, tene tu memoria

Si plus exposueris. Del. Curabitur benè

Tu saltem, conuiuas ut exhilarare, uide,

Vel poculis, uel per falsis facetijs.

Aco. Intendam uires omnes, ut me strenuum

Geram potando, ne discedant sobrij.

Siquidem meretur laudem nunc amplissimam. *r.*

Co. Saluete plurimum. Aco. Ingentes uobis ago

Quòd aduenistis, gratias, suauissimi

Congerrones. Myssp. Sed non ages posthac, scio.

Edaces & bibaces conuiuas habes.

De. Aduentus uester est mihi acceptissimus.

Co. Hoc amplexu præ gaudio cor exilit.

De. Corollas has, horti nostri donaria,

Accipite equo animo, exigua nec munuscula

Spernite. Phi. Quàm suaue spirant hæ coronule.

Acol.

COMOEDIA.

Acol. Puer, recentem aquam fer, ut lauent manus.

Acr. Ad sacrificium nos ituros autumas?

Que manibus illotis prætare crit nefas.

Aco. Accumbite. Iam lubet animo meo obsequi.

Indulgens genio uitam, dum uiuam, benè.

In Alexandrinis delitijs uitam exigam,

Dum fert ætas, dumq; ualent uires corporis.

Aut bibat aut abeat: Græcorum in conuiujs

Erat lex celeberrima, quàm nos hîc gnauiter

Seruabimus, quare Colax hoc præbibo

Tibi, quod faustum sit foelixq; poculum.

Col. Lubens excipio, & summas habeo gratias.

Aco. Tibi uerò hunc uno Mysspole haustu cantharâ

Do: sed tu Deleasthisa, mel meum, prius bibes.

My. Excipio, sit salus. Co. Heus Acrates, hoc tibi

Quod cernis præbibo poculum. Acr. Habeo lubens.

Myss. Philostasi, hoc saluto te benignè cantharo.

Phi. Respondebo, sed mensæ exhaustum imposito.

Myss. Videbis, candidè bibam, non de me aliter ex-  
pertus es.

Aco. Heus puer, accerse, ut iussi qui fidibus canat.

Ni rectè efficies uapulabis postea.

Deinde huc ad mensam concede, & cantilenam con-  
cine. (cita

Pu. Adest. Aco. Intende neruos bone uir, & nos ex-

Faceta cantiuncula, si quid potes.



STVDENTES  
ODE DE ADVLTERIO VENERIS

Et Martis, ex Homero Odis. ②.

Viderat Martem Venerem fouentem,  
Atq; in extructo thalamo cubantem,  
Qui regit solis uolucres quadrigas

Comptus Apollo.

Nunciat fabro citò claudicanti,  
Qui graues technas animo doloso  
Inuenit, paruas fabricans cathenas

Retia ponit.

Est et in Lemnum peregrè profectus,  
Id quod obseruans rigidus gradiuus  
Mox ad assuetum thalamum cucurrit,

Gaudia quærens.

Cumq; conscendunt, cupidos amantes  
Fraudis ignaros capiunt cathenæ,  
Ex quibus captis datur exeundi

Nulla potestas.

Mulciber postquam uidet esse captos,  
Conuocat cunctos superos deasq;  
Vt scelus martis rigidi uiderent

Cum Cytheræ.

Martis amplexu Venus obuoluta  
Præbuit risum superis solutum,  
Membra quòd nulla potuit pudenda

Veste fouere.

COMOEDIA.

Non erat quisquam ratione tali  
 Qui pati amplexus cuperet Diones,  
 Præter Atlantis nitidum nepotem  
 Pleionesq̃.

Acol. Equidem & ego mecum Venere uinciri per-  
 mitterem.

Acr. Satis comessatum est, famemq̃; expleuimus.  
 Iube fasciculos aliquot chartarum huc adferrier.  
 Cibus tollatur, ludemus parumper, nam quid alea  
 Possit, lubet experiri. Aco. Puer heus, profer fascicu-  
 los duos.

Mappam mensalem tolle cum cibo, & statim  
 Aquam puram, ut lauent manus, adfer, ne sit mora.  
 My. Acrates, tu distribue folia, uerum fraus absit &  
 dolus.

Pecuniam conijciemus in hunc circulum,  
 Ut qui futurus sit uictor mox auferat,  
 Nunc uolue fortuna rotam, nunc mea suspice  
 Vultu benigno uota, uictor tibi bidentes offeram.

Acr. Periclitemur quid uehat fortuna, tu Colax  
 Es primus. Acol. Accede Deleasthisa huc, ludemus  
 paululum.

Sudarium auro pertextum depones, ego duas  
 Vlnas deponam serici uillofi, age a aside.

D. Ut ut placet, impartire folia, uincã, te certissimẽ.

Acr. Mea est pecunia hæc, uici ludũ. Phi. nõ largior.

## STVDENTES

**Acr.** Cur non? **Phi.** Pecuniam, inquam, redde furcis  
fer.

**Acr.** Nō reddam. **Phi.** At ego, scelus, uicisse te nego.

**Acr.** Quid caussæ? **Phil.** Non apertè lusisti, sed sub  
dolè

Composuisti chartam, & folium è medio subtraxisti  
Dein (dens.

Clam quod non placuit sub mensam demisti impu-

Atq; en iacet adhuc sub pedibus tuis, quare pecuniã

**Redde.** **Acr.** At non reddam, medium te licet discers  
pseris.

**Ph.** Hoc pugione te pugnam, nisi reddas pecuniam.

**Acr.** Vt lubet, ego iidem faciam, robur experiar  
tuum.

**Proh** facinus indignum trucidor heu miser.

**Acolaste** subueni, quid cessas? **Ac.** Proh, tantũ scelus

In alienis ædibus admittere, non pudet

**Tantas turbas** sub noctem dare? **Acr.** quid cessas? uin  
dica,

**Trucida.** **Ac.** Sublimem rapiant omnes te demones.

An leue crimen putas tantam uim facere in aliena  
domo?

**Mox** amoue te hinc, aut fustibus eijciam te foras.

Hanc pro meis meritis nunc gratiam rependitis?

**Ph.** Quid tibi uis? non me terrebis sæuis dictis tuis.

Iam pugnis barebit tibi in mala, nisi os cõpresseris.

COMOEDIA.

Mys. Quid agis Philosthastē non decet tumultuari in  
 edibus

Alienīs, nam capitale est facinus, agē domū ibimus.

Deducam te usq; ad contubernium tuum

Per hanc plateam, est enim quā cetera multo trā  
 quillior.

Sed ecce ingens cerdonum multitudo nobis obuiam

Venit uociferando. Cer. Ba ba bu. Phi. Vix duo sunt,  
 tace.

Mirum spectaculum uidebis, hos agemus in fugam.

Canes enim qui uehementer latrant, mordent mi  
 nus.

Colax ad dexteram concedito, tu isthinc Myspole

Aditum interclude, ne quā pateat his fuga.

Horrendum clamitans, ego stricto hos ense persee  
 quar,

Tanquā prædam in casses agam, uos sternite

Eos ad terram, intellexistis me? Col. Benè.

Cer. Ba ba bu. Phil. Ho ho ho. Cer. Heu heu inermes  
 cædimur.

Col. Satis dederunt poenarum, conijciamus nos in  
 pedes.

ACTVS III. SCENA IIII.

Philosthastes.

Trimetri.

**V** Su tandem quotidiano iam comperi,

Verè

## STVDENTES

Vere dixisse Homerum, qui quàm plurimos  
 Dissimiles patrum dixit esse filios.  
 Plures peiores, meliores paucissimos.  
 Cuius rei clarissimum exemplum Acrates  
 Et Acolastolastus præbent, qui cuncta dissipant,  
 Quæ patres uix summo labore & maximis  
 Sudoribus congefferunt. Sed incidit  
 Vetus sermone uulgatum prouerbium:  
 Tenax requirit prodigum, & dum attentius  
 Omnia perquiro, uideo; quando altissimus  
 Sit Parnasus, & adhuc angusta semita,  
 Sentibus innumeris & spinis obsita,  
 Saxosa, & non nisi per sudorem peruia,  
 Ad quam monstra aduigilant aspectu pessimo,  
 Quæ ascendentes non admittunt, sed auocant.  
 Voluptas, paupertas, paruum consortium.  
 Quamuis sublata uoce Pierides uocent,  
 Et monstrant laureos licet ramnusculos.  
 Circumueniri multos his monstris, quibus  
 Dum dant operam, à studijs se totos segregant:  
 Quod contingit meis quoq; conterraneis,  
 Qui dum nimis libidinibus obtemperant,  
 Remiserunt Musis & Phœbo nuncium.  
 Ad hos igitur, si sint domi, me conferant,  
 Ut in uiam reducam & redeant ad frugem.  
 Sed eccum Acolastum uideo.

## ACTVS III. SCENA V.

Acolastus, Philomates,  
Trimetri.

Salue plurimum.

Soportunè quidem uenis mihi obuiam.

Sed ubi est Acrates? Acol. Domi est, ægrotat paulu-  
lum.

Phi. Aegrotat? quo morbo? letali forsitan.

Ac. Non arbitror. Ph. Verum unde exortus tam citò

Inualuit morbus? fortasse aliquantò bibit

Largius. Ac. Ego hercule ignoro. Phi. Non est quòd  
tegas,

Rem noui à principio. Sed mirari satis

Non possim, cur istos sectere gurgites.

Cur istis te adiungas, quare commertium

Habeas cum perditissimis nebulonibus,

Qui non honestatem, non pietatem colunt.

Ac. Heri ad me ueniebant, quare ego pro uiribus

Satis prolixè tractabam. Phi. Miserrimum,

Eò nunc rem re disse, ut si cui benè uelis,

Hunc multis nisi mox poculis inebries,

Amicitie disrupta dicant fœdera.

An patris uerba tibi exciderunt tam citò?

Quibus monebat nos, ut scis, ne talibus

Adhereremus, qui bonarum ab artium

## STVDENTES

Studijs nos abstraherent, & prauis moribus  
Vitam nostram inficerent, morati pessimè.

Videbis in quæ te incautum trudent mala,  
Postquàm satis blandis uerbis te elegerint.

Ac. Quòd si non fecero, Timonem me appellitant,  
Aut philosophū. Phi. Dicant, permitte, quod uelint,  
Nam nulla fides est, nec iusti obseruantia.

Quos coràm cernis & putas esse optimos,  
His minime fide, nam sunt peruersissimi,  
Qui te apud alios illudent, quamuis plurima  
Coràm, & uitam promittant pro te fundere.

Nam tales præditi sunt lingua duplici,  
Mel & uirus spirant uno ore & halitu.

Ac. Non arbitror, nanq; horum perspexi fidem.

Phi. Fidem? qua in re? quòd est letali uulnere  
Ab his Acrates confossus? egregiam fidem.

Quòd temet ipsum fermè eiecissent domo?

Aco. Non est letale, uix mucrone paululum  
Perstrinxit, postquàm multo esset uino obrutus.

Phi. Vide quid agas, non homines huius temporis  
Tam citò cognosces, quin etiam centum salis  
Si modios cum nonnullis hìc consumpseris,  
Vix ingenium cuiuslibet perspexeris.

Crudeles sæpè serpentes sub floribus  
Latent, & spinas sæpè quoq; rose occulunt.

Ac. Non possum me planè ab hominibus seiungere,

COMOEDIA.

Nec pater unquam interdixit, ne bonos mihi  
Amicitia adolefcentes adiungerem,  
Et omni demererer beneuolentia.

Phi. Amicitia inter latrones? Aco. Proh Iupiter  
Tua quid interest? Si quid consumpsero  
Id fiet de meo. Phi. Consume non moror.  
Sic sunt nunc homines, qui cum sibi non consulant,  
Alios bene monentes tamen non audiunt.

CHORVS TERTIVS.

Qui uis ingenuis labore magno  
Eniti studijs, ad astra clarum  
Nomen tollere, foeminas uenustas  
Et ludos, epulasq; sperne lautas.  
Incautos iuuenes tria haec inescant,  
Atq; ad plurima probra dant fenestram,  
Et gignunt odium nouem sororum.  
Obnixè studijs adherere honestis.

ACTVS IIII. SCENA I.

Euprositus, Eleutheria,

Senarij.

**A** In' uerum esse, quod nobis absentibus  
Vitium sit oblatum (me miserum) filiae?  
Eleut. Sic est. Eup. Quis fecit? Eleu. Acolastus. Eup.  
Nullam fidem

Esse



## STVDENTES

Esse in mundo, proh Iupiter, heu iniuriam,  
 Vix sum compos mentis, sic ebullit cruor  
 Circa cor, atq; ad iram mentem concitat.  
 Si mihi scelestus nunc daretur obuiam,  
 Hunc ensem in costas adigerem ui maxima,  
 Et hanc uiam cerebro miseri conspergerem.  
 Vir es Acolaste, gessisti te fortiter.  
 Imbellem debellasti uir puellulam:  
 Pudicitiam eripuisti: age, te mihi obuiam  
 Offer, conceptam meritò hanc in te iram euomam.  
 El. Dedit iusiurandum se ducturum domum,  
 Quare effervescentem iram, mi uir, comprime.  
 Placuit puellæ species adolescentulo,  
 (Pudicitia cum forma agit nam litem maximam)  
 Calcaria addidit amor, locus & occasio.  
 Amicè agendum est cum adolescente & leniter.  
 Voluntas uirginis adfuit, & humaniter  
 Fecit, persuadebo hominem, & accedet mihi  
 Vt ducat uxorem, noui tractabile  
 Hominis ingenium, per seruom accersi iube.  
 Eup. Dromo, accerse Acolastum ut mox ueniat huc  
 rogo.

## ACTVS III. SCENA II.

Acolastus.

Scazontes.

Quàm

COMOEDIA.

**Q**uam nunquam, Dij immortales, secunda res  
 In amore perueniunt ad exitum letum,  
 Grauis quin luctus hunc sequatur à tergo.  
 Meo malo nunc etiam intelligo demens,  
 Amor cur captus lumine, & puer cur sit.  
 Nam sæpè prudentissimos facit cæcos,  
 Et tanquam pueros nil sapere: quod expertus  
 Meo malo iam sum, periculis qui me  
 Tot obieci, cæcus & infans, nihil cernens  
 Futurum, & qui finis amorem hunc sequi posset.  
 Atq; adeò, tot lubens angustijs memet  
 Inuolui, ut inde me expedire non possim.  
 Compressi uirginem, quæ nunc gerit foetum:  
 Fidem dedi, me ducturum domum dixi.  
 Quæ res me sic excruiat, ut nihil supra.  
 Huc illuc impellor, tanquam in mari nauis,  
 Procellosi quando ineunt prælium uenti.  
 Ut nesciam miser, quid me futurum sit.  
 Ducam uerò? pater obstat, qui modis miris  
 Me tractabit: quid dicet? num puellas ut  
 Vitiare huc te misit? an ut bonas artes  
 Perdisceres? probatis moribus uitam  
 Informares? an non hæc antea prædixit?  
 Quando uides Philomathem sic inherere  
 Amori? qui quoq; monere debebat  
 Ut non tam turpiter substantiam nostram

## STVDENTES

Sine tuorum studiorum perderes fructu.  
 Penitus ignoro quid respondeam patri.  
 Non dicam? pietas, æquitas, amor, leges,  
 Fides, religio, Deleas his æ agunt causam,  
 Atq; ad eò inuitum me impellunt, trahunt, cogunt,  
 Minantes pœnam si non duxero, ut fas est.  
 Quibus si aduorsarer, uel si reluctarer,  
 Essem dignus cui tellus hisceret uiuo,  
 Et uelut Amphiaräum absorberet Argium.  
 Quid nunc restat? nisi ut de monte præcelso  
 Me præcipitem, aut latebras animæ ense perquiram.

Tam me circumuallant angustie multæ,  
 Mori ut malim potiùs, quàm sic frui uita.  
 Sed hanc dum in uiuis fuero à me abstrahet nullus,  
 Quæ mihi suum misera concredidit corpus.  
 Non deseram, decreui, sed domum ducam.  
 Quare ad patrem me conferam puellæ, quæ  
 Veretur ut sim ducturus, & ut expurgem  
 Me, ipsaq; flens iam dudum meam fidem implorat.

### ACTVS IIII.      SCENA III.

Euprofitus, Eleutheria, Acolastus.  
 Octonarij.

**Q**ua fronte, quo ore absentibus nobis es ausus  
 carnifex,

Domum

COMOEDIA.

Domum nostram contemerare, & notam famosam  
inurere?

Vix me contineo, quin tibi mox manibus in crines  
inuolem,

Et discerpam, Threiciæ mulieres ut uatē Oeagriū,  
Qui nunc familiam nostram asperferis tam turpi in  
famia.

Vt stas? ubi pudor? ubi uerecundia? quid ais heus tu  
furcifer?

Acol. Audi uerbum unum, peccaui, fateor, ueniam  
supplex peto.

Eup. Veniam? qui facinus Phaliridis tauro dignum  
commiseris.

Num me ludibrio habes? Acol. Non ueniam cupio ue  
uellem auertere

A me culpam, sed ut furibundam isthanc iram cona  
pesceres.

Factum quod est, infectum reddi non potest, ad opa  
timam

Quin potiùs partem confer, forma, etas, amor, ad id  
me impulit.

Amor quid possit nosti, cuius non supremus Iupa  
piter

Potuit uel tela uel fâces à se ardentem auertere.

Agè dehonestauit puellam, maximis honoribus

Eandem afficiam, in uxorē ducam, quod fiat auspice

## STVDENTES

Deo precor: ab hac, dum uiuam, me nemo nisi mors  
abstrahet.

Hanc mihi selegi præter cæteras, cum qua ætatem  
exigam.

Quapropter desine succensere, amorem & ætatem  
uides

Amborum. Eup. Si non feceris, cogam te iure & le-  
gibus.

El. Hanc, mi fili, ut scis, unicam tantummodo habeo  
mus filiam,

Solatium senectutis nostræ, cuius tu flosculum  
Decerpisti, quam si non duxeris, mox uitæ terminū  
Pones. quare per hoc caput te obtestor, ne nos desce-  
ras,

Habebis dotem amplissimam, & dum uiuam, omnia  
plena manu

Ad uitam suggeram, misereat te senectutis meæ.

Acol. Ne lachruma dum spiritus alit hanc animam,  
nunquam uos deseram.

Et citius cælum flores, aut tellus producet sydera,  
Quam uel casus acerbus, uel graue aliquod infortu-  
nium

Deleat hanc eripiat mihi, et ab ea me uiuum segre-  
get.

Sed conferam me nunc domum, idoneum sum nactus  
nuncium,

COMOEDIA.

Per literas hac de re certiorum facturus patrem.

ACTVS IIII. SCENA IIII

Danista, Acrates.

Trochaici, Tetrametri,

Catalectici.

**A** Crati demens nuper credidi uicenos aureos,  
Et iam constitutus effluxit soluendi terminus.  
Quapropter fugitat meum conspectum, nec mihi ob  
uiam

Quod sensi, uenit: Sed mox me uiso in aliam coniecit  
Sese plateam. quare si mihi nunc daretur obuiam  
Compellarem. Nam mala nomina saepe compellanda  
sunt.

Hisc sunt homines nostra aetate exornati moribus,  
Ut, nisi quod tuum est repetas, non sponte sua tibi  
redderent.

Vel si quis quid reddit, magna est huic agenda gratia  
Ad eum ut ipsa fides irata hinc ad Deos secesserit,  
Et perfidia emissa ex inferno, cunctos inuasit.  
Eccum quem quaero, sequar mox a tergo, ne se oculos  
culat

Aliorsum me uiso. heus bone uir, quando reddas de  
bitum?

Ac. Debitum? quid? Da. Debitum. Ac. quantum? Da.  
Vicenno aureos.

STVDENTES

Ac. Quando mutuo dedisti? Da. Nescis? ah homo imo  
pudens:

Denos tibi dedi, quos perdidisti nuper alea.

Octiduo post iterum denos, quos dederas meretrici  
cula,

Et chirurgus, quod curasset uulnus in conuiuio

Acceptum, sicumq; quo te nunc meretrix donauerat

Cum tecum cubaret, ad minimū integros menses duos.

Quare redde quod debes, aut rem ad rectorem de  
feram.

Acr. Non abest multum, quin hoc in luto te prouos  
lucrem

Quod me compellare audes effrons in publica uia.

Nonne dixi tibi, me nuncium misisse in patriam?

Qui quamprimum uenerit, aes alienum persoluam  
tibi.

Dan. Quò te proripis? ô effrenatam hominis impu  
dentiam.

Tu facies ut nulli crediturus sim pecuniam.

Acr. Quid nunc comminiscar? aut quam nunc intena  
dam fabricam?

Vt patrem argento emungam, atq; huic ut persola  
uam debitum.

Dicam me dimidium penè annum correptum lurida

Febre laborasse, & ita tantā consumpsisse pecuniā.

Si pater rem cum scortis habere me rescisceret,

Lude

Ludere, potare dies & noctes, ferret grauiſſimè.

ACTVS IIII. SCENA V.

Eubulus, Philoſtorgus.

Septenarij.

**P**hiloſtorgum exoptarè nunc mihi dari obuiã.  
Sed ipſe exit foras, conueniam, et quæram quò  
uelit.

Phi. Te quærebam: ſalue. Eu. Et ego te. Phi. Cur fron-  
tem contrahis?

Eub. A filio allatæ mihi ſunt literæ, in quibus  
Scribit ſe Euproſiti cuiuſdam uitiaſſe filiam,  
Atq; ab eodem cogi, ut ducat in uxorem, legibus.  
Quæ res animũ meũ adeò excruciat, potiùs ut mori  
Malim quàm uiuere. Vtinam mors in primo limine  
Vitæ extinxiffet te, ne mihi cauſa dolorum fores.  
Acolaſte Acolaſte, quàm ſepè monui fideliter,  
Ne perditis adharces peſſimè confortijs,  
Néue ſineres blanditijs te capi muliebribus.  
Id quod timebam non ſine dolore meo contigit.  
Quàm inique eſt cõparatum, ut hi, quibus ſunt filij  
Obtemperantes & morigeri, his permittant nihil,  
Et largiantur quoq; pecuniam pariſſimè.  
Nos uerò, qui quodcunq; illis lubet, concedimus,  
Plerunq; habeamus filios quàm perditiffimos.  
Nunc demum ſentio, pecuniam & licentiam  
Eſſe adoleſcentulorum corruptelam maxumam.



STVDENTES

sed utinam aut filius aut ego è uiuis excederem,  
Ne nebulonem uiderem posthac impurissimum.

Verùm, si mihi dabitur in conspectum pessundabo,  
Nihil ne de tuo noui audiuisi filio?

Ph. Nihil, nisi quod scribit febre laborasse se diu:  
Vicenot aureos petens, sibi ut transmitterem,  
Vtpote, quos curando morbo hoc illic insumpsit.  
Non igitur filium sine uxorem ducere?

Eu. Non hercle faciam, quin meis manibus occiderẽ  
Potius, quàm ut hoc homini impurissimo permitte-  
rem.

Phi. Quid ergo facies? Eub. quid? rogas? cras quando  
illuxerit

Dies, iter ingrediar, ut ad ipsum proficiscar: tenes?  
Tu, si uoles poteris unà mecum. Phi. rectè mones.  
Abi domum, & quæ sunt necessaria ad iter, para.

CHORVS QVARTVS.

Peius haud quicquam muliere uiuit,  
Nam uenenoso uomit ore flammam,  
Et quibus fallat iuuenes tenellos

Retia ponit.

Spirat emittens uelut Aetna flammam,  
Perdat ut stultos miserosq; amantes.

Hanc precor pestem fuge qui nouena

Numina queris.

COMOEDIA.

ACTVS V. SCENA I.

Acolastus.

Trimetri.

**P**ostquam delusus esset ab Ate Iupiter  
 Hanc crinibus arreptam deturbat coelitus,  
 Nec unquam diuorum fruitur commercio.  
 Verum homines intergraditur ueloci pede,  
 Calamitates & caedes miscens maximas,  
 Eadem mihi nunc mille rixas seminat.  
 Hic uirginis pater, ex parte altera meus,  
 Minantur mihi Geticis extrema affectibus,  
 Alter si non, alter uero si duxero.  
 Omnia sunt plena, quò me uerto angustijs.  
 Tot me circumuallant miserum molestiæ,  
 Ut nisi me Deus eripiat è tantis malis,  
 Ad extremam infelix redigar insaniam.  
 Audio patrem aduenisse, hic mihi sunt iurgia  
 Parata: quibus, hei mihi, iam tractabor modis.  
 Sed ad Litas Ionis me uertam filias,  
 Quæ tardis & lentis sequuntur passibus:  
 His supplex ero, uerbaq; dicam precantia,  
 Ut me uelint eripere è tantis cladibus,  
 Infelici qui coepi amare sydere.  
 Litæ, Litæ, seruate miserum uestra ope.  
 Ad uos uenio consilium auxiliumq; expetens,

STVDENTES

Appropere citis gressibus. Si uos mihi  
 Auxilium denegatis pereco funditus.  
 Si scissem ex hac re tot lites, tot iurgia  
 Mihi futura, nunquam patrassem miser.  
 Beatus ille, qui procul ab his uinculis,  
 Sedulo uacare potest ingenuis artibus.  
 O si reuerti elapsa possent tempora,  
 Nunquam me tot curis incautum inuoluerem.  
 Rectè dictum est, damnosas esse foeminas,  
 Bonas malasq;. Nam quantumuis castitas  
 Laudetur Penelopes, tamen procis fuit  
 Exitij causa, quos Vlysses sustulit.  
 Et Asiae toti dedit exitium Tyndaris:  
 Sic mea Deleasthisa mihi peperit maximas  
 Rixas. sed ad patrem meum me conferam,  
 Ut audiam num hac de causa succenseat.  
 Mens hercle praesagit mihi infortunium.  
 Sed ni fallor, uideo patrem. huc accedere.

ACTVS V. SCENA II.

Euprofitus, Eleutheria.

Trochaici, Tetrametri,

Catalectici.

**A** Vdin' uxor, num fuit hodie hic Acolastus?  
 Ele. Non arbitror.

E. Illud timeo, ne effugiat, neue aliorum se conferat.

Quam

COMOEDIA.

Quam suspicionem parit mihi, quòd semper procrastinat,

Et quòd rarius nunc huc aduentat solito. El. ne time. Ingenuus adolescens est, non faciet, concepi bonam Spem, sed fortasse ad coenam ueniet. Eup. Igitur coenam para.

Ego paulisper in forum prodibo, num quid sit noui, Auditurus, cuius nostra secula sunt plenissima.

ACTVS V. SCENA III.

Eubulus, Acolastus, Philostorgus.

Tetrametri, Iambici,

Catalecticici.

**E** Ho bone uir, hodie faciam ut scias quanti pater sit

Faciendus, non impunè feres quòd uitiaſti puellam, Et eandem me inuito uis ducere in uxorem sceleſte.

Aco. Pater, da ueniam, quæſo pater. Phil. non te dignum facis. Eub. quid?

Phil. Occides filium? Eub. morietur. Phil. ah ſeuire noli.

Aco. Hoc eſt eſſe patrem? Eub. atq; hoc eſt eſſe filiũ? Aco. Miſer ſum.

Phil. Eubule, non herclè ſinam ut facias me præſente te cædem.

Cedo, num tu tam facilè potes animum exuere paternum?

Eub.

## STVDENTES

**Eu.** Non exuerem patris animum : perfricta fronte  
quòd me

Patrem non agnoscit, cuius dictis meritò obsecun-  
det.

Scis quo pacto ab ineunte etate mihi contrariatus

Et tergiuersatus sit? qui me inuito patre ducet

In uxorem istam meretricem, non sine dedecore  
summo,

Cùm non obseruet stipes quantæ insidiæ sibi stru-  
antur.

Quæ nemini obrudi possunt, inescant sic amantes,

Vt quas uitiauerint, in uxores ducant easdem.

Ante aliquot annos si duxisses uxorem, uir esses.

Vide ut stet, quàm nullum edat ingenui signum pu-  
doris:

Agè, accerse Euprofitum, uidebimus quo iure possit

Tibi nubere, sui ipsius prodiga cùm sit pudoris.

Vel potu uel cibo porrexit huic meretrix amorē,

Adeò est submersus in amore, ut non abstrahi inde  
possit.

**Phil.** Humanius age, uix enim ut non ducat obtineo  
bis.

**Eub.** Aspera uerba nihil si proficiunt, quid lenia mo-  
uerent?

Sed nisi fallunt oculi, procul uideo istos aduenire.

ACTUS

COMOEDIA.

ACTVS V. SCENA IIII.

Euprositus, Acolastus, Eubulus,  
Philostorgus.

Senarij, Septenarij, &  
Oſtonarij.

**I**Tan' dicis te tam impotenti esse à patre  
Animo tractatum, & nolle ut ducas filiam  
Meam, quam ui tute, ut nosti, compresseris?  
Aco. Sic est, & si non adfuisset Acratis  
Pater Philostorgus, necasset me satis  
Crudeliter, paterni oblitus muneris.  
Sed expectant nos, accedamus ocius.

Eup. Est' ne ille tuus pater, qui dexteram tenet?

Aco. ille est, promissam barbam qui mulcet manu,  
Qui cogitabundus declinat in terram caput.

Eup. Accedam & alloquar: Saluete plurimum.

Phil. Habemus gratias. Eub. Age bone uir, tu coges  
filium

Meum, ut ducat gnatam tuam? quo iure? quibusue  
legibus?

Eup. Huius regionis, nanq; apud nos cautum est, si  
quis uirginem

Vitiauerit, ducat eandem, aut capite poenam luat.  
Quare si non uult, ego procedam iure & legibus.

Eub. Egregiam legem, quæ fenestram patefacit libis  
dini.

Nam

## STVDENTES

Nam si quis habuerit domi maturas filias,  
Ita ut nemini easdem poterit obtrudere,  
Hac ratione in nassam pelliceret adolescentulos  
Rerum imperitos, ut uitiatas ducerent.

Atq; sub honesto posset lenonem agere nomine,  
Et peregre proficisci, ut maior sit his occasio.

Quin uirgines sunt uigili adseruandæ custodia,  
Arcendæ à iuuenum crebra consuetudine.

Eup. Duram profectò mihi damandas prouinciam,  
Siquidem mallem suum custos esse potiùs, quàm uir-  
ginem

Hanc custodire, sui quæ custos esse non potest.

Eub. Veterator. Eup. Hem quid dicis? Eub. Dicebam  
gnatum meum

Tuam non ducturam esse filiam. Eup. Quibus ratio  
nibus.

Eubu. Nam filius uicesimum quintum cùm non ex-  
cesserit

Annum, sui iuris non est, nec quicquam sine paren-  
tibus

Suscipere audet, ne minimum, non dicam quòd ma-  
trimonium

Contrahere possit inuitis parentibus.

Quare tuam gnato meo locare filiam

Nō poteris, nec debes, cùm mihi subiectus sit adhuc  
filius.

Eupr.

COMOEDIA.

Eup. Igitur infamiam qua me domumq; meam asper  
sit, feram?

Non hercle faciam, quin potius omnia mea bona lar  
giar

Iurisperitis, quam hoc ut ferat inultum filius tuus.

Qui cum possint citra negotium ex mala causa bon  
nam

Facere, ex bona poterunt uel optimam: Cedò,

Tu'ne aequo animo laturus esses, filia tuae

Si quis stuprum inferret? Eubul. Ego non factum  
probo.

Sed quare admisit eum? cur non stulta à se repulit?

Adolescentes enim non tam sunt in crimine quam  
uirgines:

Quippe quòd hi non secus ac canes sagaces inquir  
runt feram,

Quam uisam prosequuntur, apprehensam mordis  
cus tenent.

Eup. Cur non reluctata est pudicitiae exemplar Lu  
cretia?

Perinde quasi possent imbelles uirgines uiris

Sese opponere. Sed cum non aequitati apud uos sit  
locus,

Vobiscum stricto iure agam, & hunc in ius traham,

Vt si noluerit, ut dixi, poenam capite luat,

Iuxta leges nostrae regionis, & instituta publica.

Philo,



## STVDENTES

**Phil.** Eubule, iniquus es nimis, non approbo, æquum postulat.

Nam præstat has leges seruari, ne data improbis  
Ansa peccandi, in quasuis irruant innuptas uirgines.

Præterea non est quod causâre. nam pater

Vir est probatæ fidei, non infâmis crimine

Vllo, diuitijs pollens: ipsa uirgo, præterquàm  
quod est

Formosa, uitam egit pudicè & duriter,

Vt tota ciuitas testatur, quæ clamat scelus

Infandum admisisse hunc, et quouis supplicio dignis-  
simum.

Insuper amor, æquitas, religio causam agunt.

Amor quidem, quòd si hunc ab illa segregaueris,

Actum est de uita & salute filij tui:

Siquidem sibi met ipsi asciscet uitæ periculum.

Porrò æquitas, quia æquum est si quis quicquam as-  
perferit,

Abstergat ut idem. Postremo religio quoque  
monet

Iusiurandum sanctè esse seruandum, quo te de-  
uinxeris.

**Acol.** Pater si me uiuum uis miserum, ab hac me  
abstrahere.

**Eub.** Habeas, ualeas, oblectes te cum illa. **Acol.** Sine  
te exorem pater.

COMOEDIA.

Eub. Age duces. Aco. O lenissimum patrem, nunc te  
geram in sinu.

Eub. Dotem dic Euprofite. Eup. Dabo quingentos  
aureos.

Eubul. Placet, eamus nunc intus, ubi reliqua curas  
bimus,

Si quæ supererunt: duc nos in domum tuam.

Eup. Fiet, sequimini. Phil. Mox sequar, prius ad gna-  
tum me conferam,

Cui denumerabo argentum, quod debet. Eup. Seqs  
re. Eubu. Sequar.

ACTVS V. SCENA V.

Acolastus. Acrates,

Trimetri.

**N**on possum me tantis explere gaudijs,  
Quòd in portum è tam turbulentis fluctibus  
Sim delatus, mareq; iam conquieuerit.

Verùm quem nunc exoptem mihi potissimum

Dari, cui tam subita hec enarrem gaudia.

Acratem uideo hilari uultu, sed peruelim

Scire, quod huic sit tam magnum oblatum gaudium.

Acra. Quandoquidem omnia ceciderunt ex sen-  
tentia,

Non possum quin frontem explicem præ gaudio,

F

Atq;

## STVDENTES

Atq; adco, ut ad congerrones me conferam,  
 Cum quibus hunc hilarem letus transmittam diem,  
 Dum turget crumena (ô lenissimum patrem)  
 Cum non amplius erit posthac egebimus.

Acol. Conueniam: heus Acrates, quod obortum est  
 tibi gaudium?

Videris etenim quàm soles multo hilarior.

Acr. Ehem Acolaste, hodie mihi fortuna se dedit,  
 Tanto me affecit insperato gaudio.

Pater enim omnem dinumerauit pecuniam,  
 Quam debebam, & meis dictis habuit fidem,  
 Nam me febre laborasse patri scripseram  
 Sex menses, tantamq; insumpsisse pecuniam,  
 Sed nescit in quos usus hanc conuerterim.

Præterea immensam argenti uim dedit mihi  
 In sumptus, quapropter lætitia diffluo.  
 Sed, ut se res habent tuæ? dic obsecro.

Aco. Deleasthisa datur mihi nuptum, atq; nuptiæ  
 Parantur, quocirca nunc res est in uado.

Pater iratus cum Euprofito iniuit gratiam,  
 Cui se totum dedit, quem summè diligit.

Eamus intro, hunc hilarem sumemus diem.

Non est quod expectetis, intus nuptiæ

Celebrabuntur, uerùm ualete & plaudite.

Chorus

COMOEDIA.

CHORVS QVINTVS.

Stagnans uel uoli maris  
Præsent: es hominum reddit imagines,  
Quando carceribus domat  
Fratres nymbi feros Hippotades ferus.  
Sic comoedia splendida  
Emendat uitium, detegit malos  
Mores, edocet optimos,  
Vt uitam instituas in melius, monens.

EPILOGVS

A' M. CHRISTOPHORO

Cornero additus.

**F**elicitatem uobis maximam precor,  
Qui fabulam hanc spectastis, quæ pulchrè  
docet,

Quibus sint præditi studijs & moribus  
Iuuenes, bonas qui tractant literas, licet  
Id non agant simili cura atq; industria.  
Sed scire uultis quid sit, & admiramini,  
Quod cernitis me quoq; nunc prodire iuuenem,  
Et has agendi partes sumere ultimas.  
At cur ego huc ueniam non multis eloquar:  
Detis mihi saltem pauca dicendi locum.

## EPILOGVS.

Hæc nanq; dicam, uestris quæ sunt moribus  
 Voluntatiq; non inconuenientia.  
 Vester facit candor, probitasq; maxima,  
 Atq; animus illius, qui ludos hos facit,  
 Poëticum ut chorum uestræ custodiæ  
 Meis, quibus possim, commendem uerbulis,  
 Comœdiæ quoq; dicam quàm sint utiles,  
 Et hæc recens quid spectet fabula.  
 Sed gratias uobis habemus plurimas,  
 Ad scenicum hoc quòd uenistis spectaculum.  
 Requirit hoc uestra bonitas & æquitas,  
 Boni ut faciatis studium hoc æquanimiter,  
 Honoris quod uestri causa suscepimus.  
 Nam quò magis bonas amatis literas,  
 Hoc magis studete iam nouis laboribus.  
 Quapropter auditores ò clarissimi,  
 Rogamus omnes pro uestra sapientia,  
 Et singulari uirtutis præstantia,  
 Seruate Musas hoc tam misero seculo,  
 Easq; defendite, quæ nil auxilij habent.  
 Videtis enim quot osores nunc perferant,  
 Quorum furor ut per totum mundum seuiat  
 In hos, quibus fauent Musæ castissimæ.  
 Quis negligit nunc contemnere tam sanctas literas,  
 Quibus reguntur orbis mundi nobiles?  
 Quis est, cui non placeret potiùs barbaras

Gentes

EPILOGVS.

Gentes & audaces sequi, quàm literas?  
 Quos non mali rudesq; patronos habent?  
 At nos miseri, qui summas res amplectimur,  
 Et qui uitæ studemus innocentiae,  
 Contemnimur, negligimur fermè ab omnibus.  
 Vos ergo nos omnes amate benigniter,  
 Et facite ut studium hoc nostrum semper floreat.  
 Hoc uestra requirit dignitas & gloria.  
 At tu iuuentus literis dedita sacris,  
 Chori Musarum nobilis docta affecla,  
 Comoedias ama, sequere, admirareq;,  
 Audi, doce, fac, agè, laudeq; multa uche.  
 Hoc etenim qui facit, uidere dicitur,  
 Humana uita quàm sit multis obruta  
 Molestijs, crucibus, fortunis & miserijs,  
 Incertus ut casus regat prope omnia.  
 Sunt etenim spectaculum uitæ huius comoediæ:  
 Quæ imitantur & referunt mortalium omnium  
 Conditiones, mores, studium & uitæ modum.  
 Errata singulorum tangunt, uitiaq;,  
 Et quemlibet monent suo de munere.  
 Si quid sequi uelis, sequendum quod putes:  
 Vitare si quid, huc peto mentem dirige.  
 Si scire uis, quid agat senum prudentia,  
 Si nescis ætatis florem quid deceat, aut  
 Dolus famulorum quàm sit multus & uosfer,

## EPILOGVS.

Meretricum quanta sit techna & fallacia,  
 Imaginem uides horum in concedijs,  
 Quas elegantia præstans Terentius,  
 Et salibus gaudens Plautus edidit uetus.  
 At cerne quid fiat nostro nunc tempore,  
 Quo non minus uigent bonæ res quam antea,  
 Quo iuuenis elegans datus poeticæ  
 Prophanis non tantum studet concedijs,  
 Sed & sacras historias ludens edocet,  
 Ac scenicis soccis uult reddere bonos  
 Viros, & ad pietatis studium adducere.  
 Quod & noster nouus Comicus hîc præstitit,  
 Rem non nouam, sed etate hac ualde utilem,  
 Cum dulci spectandam dedit spectaculo.  
 Videtis istos iuuenes hoc in circulo,  
 Illis & adiunctos parentes optimos.  
 Qui cum uellent eos summam operam literis  
 Nauare dulcibus, & fieri quoq; bonos,  
 Mittunt ad literatos & celebres uiros,  
 Nec maximis quidem parcentes sumptibus.  
 Ipsi sed partim susceptam ingressi uiam,  
 Ad quam uolunt metam ueniunt foeliciter,  
 Et doctiores facti laude maxima  
 Domum patris repetunt, ut Philomates probus.  
 Acolastus autem & Acrates nummis datis  
 Parentibus fucum faciunt mirabilem,

## EPILOGVS.

Præ se ferentes studiosorum nomina,  
Sed interim se dant heu turpi luxui,  
Et nil minus bonas quam curant literas.  
Ludis student, turpes atq; colunt fœminas,  
Perdunt dies in poculis & otio.  
Nomina faciunt æræq; multo grauant suos.  
Tandem domum redeunt nulla arte præditi,  
Et sunt suis grauis crux & molestia.  
Sed nos sciamus quæ sit nostra functio  
Cui deus pater præfecit singulos,  
Curemus ipsam studio & maxima fide,  
Nil hæsitantes quin Deus ter optimus,  
Nostros sit adiuturus conatus ita,  
Vt se receperit facturum sedulo.  
Sed hæc boni consulite quæ dixi modo.  
Nam musicus nunc aliò ducitur chorus,  
Vos interim belle ualete & plaudite.

F I N I S.



ORNATISSIMO VIRO DN.  
Christophoro Cornero S.

**C**V'm sepiſſimè fiat mentio Iudicij Paridis in  
poëtis, quod nusquam abſolutè deſcribitur, ar  
bitrabar mi Cornere, me rem non ingrata facturum  
iſs, qui lectione poëtarū ſe dedidiſſent, ſi carmine il  
lud ipſum pertexerem, ſicut in dialogis Luciani legi  
tur. Et quamuis ſit materia per ſe iucunda, tamen  
etiā ualdè frugiſera eſt, cum ad intelligēdos poëtas,  
tum ut ex hoc ſigmento pateſceret, quomodo ex par  
ua ſcintilla magnum incendium conſletur. Nam ue  
rè ex hoc iudicio bellum decennale antè Troiam ex  
ortum eſt, in quo & tota ſerè Aſia uaſtata eſt, &  
multi uiri fortes occubuerunt. Ita rectè de Eride Ho  
merus ſcriptum reliquit:

Parua metu primo, mox ſeſe attollit in auras,  
Ingrediturq; ſolo & caput inter nubila condit.  
Ac ſi quis huiſmodi noſtrorum temporum conſider  
raret, magnos etiā tumulus ex re leuicula extitiſſe  
animaduerteret. Has autem primitias tibi dicare uo  
lui, qui in hoc genere ſtudij mihi dux et autor fuiſti.

Quare hoc qualecunq; grati animi erga præ  
ceptorem munuſculum ſuſcipito, &  
equi boniq; conſulito.

Valete.

# I V D I C I V M

## P A R I D I S.

**V**Nde sit orta trium discordia seuæ Dearum,  
Iudicium & Phrygiæ, dic agè Musa, uiri.  
Quinquaginta senex fluitantia numina Nereus  
Dicitur in magno progenuisse freto.  
Inter quas Thetidis fuerat pulcherrima forma,  
Esset ut à multis sæpè petita procis.  
Iupiter haud tepidas etiam sub pectore flammæ  
Sensit, & ingenti torsit amore Deam.  
Et nisi tam uehemens tenuisset causa Tonantem,  
Sumpsisset niuei cornua sæpè bouis.  
Nam Protheus olim Thetidi prædixerat uide,  
Infantem paries, qui patre maior erit,  
Ergo ne maius quicquam Ioue mundus haberet,  
Peleus assequitur gaudia tanta thori.  
Peleus magnanimi genitor prædiues Achillis,  
Cuius in imperio Thessala terra fuit.  
Qui mox regali conuiuia splendida luxu  
Instruit, æquoreæ letus amore deæ.  
Et uocat ad tantos hymenæos omnia cœli,  
Omnia & undisoni numina magna maris.  
Et quoq; Naiadas omnes, omnesq; Napeas,  
Imò & Apollinei numina sancta chori.

## IUDICIUM

Letifico resonat plausu domus inclita Pelœi,  
 Et dant lætitiæ plurima signa nouæ.  
 Hic certant cyathis, illic crinitus Apollo  
 Pulsat inauratæ fila sonora lyræ.  
 Quin etiam ad citharam diuina uoce canentes  
 Aetherei cantant dulcia furta iouis.  
 Sola sed hinc aberat rigidi germana Gradiui  
 Spargens in magnos prælia sæua uiros.  
 Vulgus Erin dicit, quæ quamuis paruula primo est.  
 Mox tamen extollit sydera ad alta caput.  
 Indignata grauem concepit mente furorem,  
 Cur nihili fio? cur ego spernor? ait.  
 Ergone frustra contemnar, tristia lætis  
 Miscebo, & rixæ dira uenena seram.  
 Dixit, & in turbam pomum coniecit ouantem,  
 In quo, quam duxit, scriptio talis erat.  
 Hesperium hoc pomum, quæ formæ laude supremæ  
 In toto cœtu dicitur esse, serat  
 Hic Venus & Pallas, cumq; his Saturnia Iuno,  
 De forma subito iurgia magna mouent.  
 Et mox Iuno Iouem uerbis affatur amicis,  
 Auribus arrectis cætera turba stetit.  
 O qui fluminibus gaudes rex magnæ trisulcis,  
 Discute iudicio iurgia nostra tuo.  
 Nunc uenit in dubium nostræ præstantia formæ,  
 Quæ consors casti sum tibi facta thori.

PARIDIS.

Præripere hanc laudem conatur castia Pallas,  
 Insidias nobis & Cytherea struit.  
 Quæ tibi nunc igitur fuerit pulcherrima uisa,  
 Huic pomum poteris tradere summe pater.  
 Dixerat, à cunctis ingens est murmur obortum.  
 Iuppiter hæc imo pectore uerba dedit.  
 Non ego tam magnas possum componere lites,  
 Nec sunt arbitrij iurgia tanta mei:  
 Nam uos ex æquo summo complector amore,  
 Ut merito formæ præmia cuiq; darem.  
 Quare ueloci proles Cyllenia cursu  
 In Phrygiam tristes ducito, nate, Deas.  
 Inuenies Paridem gelidis in uallibus Idæ  
 Præbentem bobus pascua leta suis.  
 Is dirimet quæ uerè queat pulcherrima dici,  
 Is formæ iudex commodus esse potest.  
 Dixerat, & blando loquitur Venus aurea risu,  
 Non metuo Momo iudice, chare pater.  
 Hic Iuno subitam mox excandescit in iram,  
 Et tales duro protulit ore sonos.  
 Nos etiam rigido nil iudice marte timemus,  
 Qui tecum solus sæpè cubare solet.  
 Et iam Mercurius pedibus talaria nectit,  
 Ad priami iussus ducere regna Deas.  
 Iamq; propinquantès [Phrigij Simoentis ad undam,  
 Mercurius pulchrum conspicit ecce Parin.

Qui

IVCICIVM

Qui baculo errantes cohibebat fortè iuuenas,  
 Ne dispergatur per iuga senta pecus.  
 Ad quem cum propius uentum, Cyllenius infit,  
 Exponens summi seria iussa Iouis.  
 Salue Dardanijs iuuenis pulcherrime in agris,  
 Salue, ne metuas, nam tibi pauca loquar.  
 Iuppiter Aemonijs ad te me misit ab oris,  
 Rex ubi connubij gaudia magna dedit.  
 Quasq; uides non sunt mortali semine nata  
 Sed sunt hïc coràm Iuno, Minerua, Venus.  
 Inter quas hodie contentio magna coorta est,  
 Quæ forma reliquas uincere sola queat.  
 Et quia non possunt superi componere rixam,  
 Tu iussu debes arbiter esse Iouis.  
 Quapropter cuius pulcherrima forma uidetur,  
 Hanc poteris pomo significare dato.  
 His ubi fatus erat uerbis Cyllenius ales,  
 Vix Paris hos tremulo reddidit ore sonos:  
 Me miserum, quid ais, magni est res ista pericli,  
 Arbitrium formæ numina ferre meum.  
 Quod culpam uideo nusquam, nil displicet imò:  
 Iudice me, uictrix quælibet esse potest.  
 O si nunc oculos centum, uelut Argus, haberem,  
 Perspicere ut cauta singula mente queam.  
 Sed quia nos urgent summi mandata Tonantis.  
 Hæc circumspectè res peragenda mihi est.

PARIDIS.

Ponite nunc igitur uestes: nam corpore nudo

Quælibet est oculis conspicienda meis.

Discedant reliquæ, maneat Saturnia Iuno,

Hæc erit arbitrij maxima cura mei.

Sic fatus, uiridi ponunt in gramine uestes,

Et Paridem Iuno talibus alloquitur.

Si Pari nunc nostræ fuerit uictoria formæ,

Pro tanto officio munera magna feres.

Imò tuis Asiæ regnum parebit habenis.

Transcendet rutilos & tua fama polos.

Respondit pastor, peruertunt munera mentem,

Non est muneribus res peragenda tibi.

Post, hanc accessit summo Ioue nata Minerua,

Quæ blando tales edidit ore sonos.

Si tua de nostra fuerit sententia forma,

Semper felici prælia Marte geres.

Semper ab hoste tuo referes uictricia signa,

Prosternens gladijs obuia quæq; tuis.

Subridens iterum dixit: nil prælia curo,

Quin potius placidæ munera pacis amo.

Postea successit pharetrati mater amoris,

Quæ loquitur tali talia uerba sono:

Si mea forma tuis steterit pulcherrima uerbis,

Non ego uel regnum uel tibi bella dabo.

Innumeris etenim sunt talia iuncta periclis,

Sed faciam ut tecum foemina pulchra cubet.

I V D I C I V M

Ne iuuenile tuum perdas tam turpiter æuum,  
 Et flos ætatis concidat ante diem.  
 Ac sunt tuta magis Veneris quàm prælia Martis.  
 Et fert fœmineus gaudia multa thorus.  
 Ergo tuis Helenam complectere suauiter ulnis,  
 Quæ tecum nudo corpore bella geret.  
 Quam genuit sumptis cygni cum Iuppiter alis  
 Repserat in thalamum candida Leda tuum.  
 Sed nunc connubio est Menelao iuncta feroci,  
 Qui tam formosa coniuge lætus agit.  
 Attamen efficiam tecum ut per nauiget æquor,  
 Huc usq; Phrygiæ pinguia rura soli.  
 Ipse etiam præsens aderit, mea cura, Cupido,  
 Nauis ut æratæ turgida uela regat.  
 Ne dubita, per conscia sydera iuro,  
 Per Styga, quam cuncti Diq; Deæq; timent.  
 Hic Paris addubitans tristato corde uolutat,  
 Tandem ait: Hoc pomũ tu cape pulchra Venus.  
 At Iuno irarum uehementi fluctuat estu,  
 Et magnum memori pectore uulnus alit.  
 Sic ait: Hei quantas in Troiam conijcis ignes,  
 Hei mox in præceps Troica regna dabis.  
 Veliuola uenient proceres cum classe Pelasgi,  
 Miscentes forti prælia seua manu.  
 Tunc Simois, Xanthus, Phrygiæ clarissima terræ  
 Flumina, sanguineo tincta colore fluent.

Dixit

PARIDIS.


Dixit: & Aemonias remeat cum pallade ad ora,  
Dardanio nunquam quæ fuit æqua solo.  
Imò etiam Phrygiæ tristissima quæq; minatur,  
Læta sed aligeri mater Amoris erat.  
Cui mox gratantur Charites, cæcusq; Cupido.  
Et dant uictrici myrtea ferta Deæ.


F I N I S.




10

...  
...  
...  
...  
...  
...  
...







Nbg, 27. Mai 1839.  
1664. 15 Jg.

a b Die letzte Sechzig eien.

Erklärung der


Nb, 27. Mai 1839.  
1664. 15 fgr.

Philosophi. 11

57.iii.

IV. 49.





R

REUSNAT

Ethia

1790

15

c. 5

adnexis.



Np

2470

STVDENTES,  
COMOEDIA DE  
VITA STVDIOSORVM, NVNC

5

quintum in lucem edita, auctore M. Chris



Staatsbibliothek  
zu Berlin  
Preußischer Kulturbesitz